THERMÆ
CAROLINÆ

1695







XII

THERMÆ CAROLINÆ.

LIPSIÆ,
apud JO. FRIDER. GLEDITSCHIUM.
ANNO M. DC. XCV.

Comprehendere quemadmodum maxima, ita minima difficile est. *Senec. Epist. 89.*

Perillustri atq; Excellentissimo

DOMINO,

DN. FRIDERICO

à Koßpoth/

Potentiss. Elect. Saxoniæ
à Consiliis intimis, & Inspectori
summo Comitatus Mansfel-
diæ, &c.

*Domino ac Patrono sub-
missâ reverentiâ colendo,*

hasce pagellas
dedicat

AUCTOR.



Perillustris atq; Excellentissime Domine.



Uem Tibi cultum debeo summum, venerabundo obsequio deferre jam sustineo. Ut enim impulsu jussuque Tuo viles hæ perscriptæ paginæ sunt: ita primo omnium conspectum ambire Tuum jure meritoque debent. Ac Tuâ imprimis beari tutelâ desiderant contra maleferiatos, qui opellam hancce criminosâ imputatione, modisque omnibus proscindere allaborabunt. Diffiteri equidem non possum, plus ferè in humeros meos me recepisse, quàm valeant

ant ferre. Imò negare haud præſumo, me feſtinabundum ſtylo paſſim breviore uſum, quàm penitior rerum repræſentatio requirere videbatur. Nec tandem reclamabo, ſi quis cuncta meliori ratione elaborata ſe daturum promittat. Neque enim mihi ipſimet ſatisfacio in omnibus, atque dum ſupra menſuram meam agere non nitor, facillimè patior, ut majorem alii de ſe fiduciam jactentque ac probent. At enimverò ſunt quandoque in ferendo de aliis judicio prompti paratique homines, qui nihil quidem rectum putant, niſi quod ipſorum moribus conveniat; de ſuo tamen nil quicquam omninò produnt, multa, ſi non omnia, neſcientes. Hi Pyrrhoniorum Scholas frequentâſſe videntur, qui novam olim

lim induxerant scientiam, NIHIL SCIRE. Verùm nemini litem movebo, etiamsi omnia sciverit calleatque. Nolim tamen, veneno malignitatis suæ opprimat aut nihilum putet, quod sedulæ experientiæ & attenti studii beneficio hucusque licuit cognoscere. Atque hoc idem est, quod devotâ Tibi, Excellentissime Domine, obedientiâ jam offero, submissè precatus, ut favere levidensi scriptiunculæ, nutuque Tuo favente favoris publici viam aperire haud dedigneris. Mereretur equidem, fateor, admirandæ calidarum scaturiginis consideratio subtilioris ingenii virum. Et tenuitatis meæ conscientiâ manum calamo retraxissem, nisi quod Tu, DOMINE, jussisti, negandi verecundia me magis, quàm præstandi fiducia vicisset

ciſſet. Quemadmodum verò hoc quicquid demum eſt, inter varias ad ægrotos excurſiones & itinera; maximam partem tumultuariâ operâ, & qualis eſſe properantium ſolet, conſignatum eſt: ita nævos forſan & defectus paſſim occurrentes non rigidâ nimis cenſurâ taxatum iri confido. Id quod pro magnitudine Tuæ in me gratiæ mihi certò promitto, cujus deinceps quoque continuationem promptitudinis obſequioſæ plenus exoro

Perilluſtris atq; Excellentisſimi Nominis Tui

Humili obſervantiâ ac fide addictiſſimus

J. C. S.



J. J.

DE thermis Carolinis earumque natura & legitimo uſu paucis pagellis ſententiam meam traditurus, id omninò præmonendum duco, me auctorem omninò nullum, & præprimis neminem, qui de hoc argumento antehâc perſcripſit, vel nominare velle, vel quicquam ejus minuendæ famæ hûc pertrahere. Neque enim animum induxi, vel exſcriptorem hic agere, vel meam qualemcunque opinionem ceu veram aut infallibilem obtrudere, ſed in compendio ſaltem monſtrare, quòd tot circumfuſæ dubitationes certitudini locum non relinquant. Forſan ſubtiliori ingenio præditi excitabuntur inde, ut penitiori curâ indagare calidæ naturam ſuſtineant. Tùm verò ex animo ſum læturus, cum comperero, à vilibus hiſce cogitationibus

occa-

occasionem quasi enatam esse inveniendi viam ad laudes & famam nullo non tempore perduraturam.

Non verò conatum longiùs petam; rem ipsam potiùs aggrediar. A Romanorum quodam Imperatore Carolo vel inventas has esse thermas, vel usu salutari probatas, ita ut ejus jussu & gratiâ oppidum sui nominis deinde coaluerit, vel ipsa testari potest appellatio. Utrum verò ex quorundam arbitratu is Carolus fuerit IV. an verò Carolo Magno hoc tribuendum, liberum omninò opinaturis relinquo. Nam hic posterior Aquisgranenses quidem thermas restauravit, postquam in venatione errabundus inter sylvas saltusque pede equi rivos aquarum calidarum percepit. Quis verò tàm fortiter super assertum hoc morietur, non itidem Magnum, sed IV. Carolum Carolinarum fuisse auctorem? maximè cùm & errori nomen idem possit ansam dedisse, & præthereà expressâ auctoris cujusdam relatione constet, Carolum Magnum omninò illarum primum existere inventorem. Sed hæc curæ puto minutioris esse. Neque enim hoc litigio tempus determinatur, quo primum scaturire ince-

 perint

perint thermæ, utut vel maximè ad hunc vel illum Imperatorem inventionis gloria deferatur. Nec ægrotorum intereſt illis utentium, quo potiſſimum tempore, quove inventore fuerint recognitæ? Quodſi tamen cuipiam aſſerere libeat, in admiranda rerum omnium creatione DEUM omnipotentem quoque thermas condidiſſe, ita ut hæ cum mundo ætate pares ſint, utut diu delituerint, atque hæ citiùs, illæ tardius innotuerint, næ ille non abſurdè adeò ſtatuerit, quin aſſenſum omninò aliquem mereri videatur. Non poteſt ſanè negari, imò laudibus nunquam ſatis celebrari benigniſſima Numinis providentia, quâ non tantùm vitæ & valetudinis noſtræ conſervationi rerum omnium affluentiâ à mundo condito proſpexit, ſed ut haberemus quoque morborum, (quos prævidit) remedia liberaliſſimâ manu conceſſit. Nolo hîc extra oleas vagari prolixâ deductione probaturus, vegetabilibus æquè ac animalibus, metallis & mineralibus in creationis actu inditam poteſtatem eſſe, ut in morborum profligationem valeant, ac peti exinde medicamina posſint. Venerabundo pariter ſilentio involvo ſingula-

gularem DEI bonitatem, quâ unam præ alia regionem reſpicere dignatus eſt, contra endemias ægritudines concedendo indigenam medicinam. Sed laudibus ſummis & perpetuâ gratiarum actione extollendum beneficium eſt, quo omnium ferè medicamentorum vires in mirabili hoc thermarum fonte quaſi coëgit potentiſſimi Conditoris ſapientia. Enimverò quicquid vel purgantium vel plurium alterantium remediorum in diverſis aliis ſolicitâ mente conquirimus, congeſtum hîc abundantiſſimè id omne eſt. Ut adeò quotquot guttæ hujus calidæ impetuoſo jactu proſiliunt, tot indubitata divinæ miſericordiæ documenta erga miſeros mortales recognoſcere valeamus. De cætero apud omnes in confeſſo eſt, abſoluto ſemel creationis opere DEUM omninò nihil amplius de novo creare. Hinc à vero alienum non erit ſtatuere etiam thermas ſub mundi initio pro uſu hominibus ſalutifero eſſe apparatas; non autem fortuito mineralium occurſu continuò progigni. Id quod luculentiùs patebit, ubi perpetuæ & inexhauſtæ ſcaturiginis cauſas paulò penitiùs perveſtigaverimus.

Admiratione omninò digniſſimum eſt, aquas thermarum Carolinarum ſemper æqualibus viribus, calore, perpetuoque ſcaturiginis impetu per tot ſecula integras ſuffeciſſe. Ut verò non pauci in cauſam miraculi intimiori curâ inquirere allaborârunt: ita tot ferè ſententias videntur effinxiſſe, quot capita fuerunt. Præcipuas illarum brevi recenſione perluſtrabimus, quid dubii quælibet alat pauciſſimis annotaturi.

1. Primò ſunt, qui arbitrantur, aquas in terræ cavernis ab igne ſubterraneo per antiperiſtaſin accenſo,& ibi arctiſſimè incluſo, tanquam in lebete incaleſcere, & ad efferveſcentem ardorem redactas cum murmurante impetu proſilire. Mirari hîc ſtatim ſubit, cur non in omni terrarum parte thermæ reperiantur, cùm tamen ubivis præſtò ſit antiperiſtaſis, & per hanc ignis ſubterranei accenſio? Subaudire hîc videmur reſponſionem, non poſſe thermas progigni, niſi aquarum quoque copia adſit. Sed invalidam hanc rationem demonſtrat quotidiana metallifoſſorum experientia, qui fodinas perreptando aquas copioſas easque frigidiſſimas ſæpenumerò offendunt.

fendunt. Vis argumenti ita opinantium talis eſt: Ubi antiperiſtaſis, & per hanc in terræ cavernis accenſus, ibique arctiſſimè incluſus ignis, nec non aquæ concurrunt, ibi has neceſſariò tanquam in lebete incaleſcere, efferveſcere, & cum impetu proſilire certum eſt. Sed verò quàm infirmo talo ſtet hæc conſequentia, per modò adductam rationem puto liquere. Nolo præterea prolixiùs objicere, quòd ignis ſemel accenſus, & tot ſecula perduraturus, neceſſariâ lege pabulum requirat, & quidem indeſinenter & æquali quantitate. Secus enim ſi fieret, vel extingueretur ipſe, vel uno quàm altero tempore magis ferveret. Tum verò & ipſæ thermæ vel deficerent planè, vel interpolatis vicibus nunc majori, minori nunc calore pollerent. Et poſitô, quòd per dictam antiperiſtaſin aquarum calor produceretur, non tamen ſapor, non cæteræ qualitates, quibus & alvum, & urinam, & ſudores thermæ movent, inde poterunt derivari.

2. In has alii cogitationes delabuntur, ex aquis terræ centro circumfuſis per ſolem ſubterraneum ſ. ignem copioſos elevari vapores, qui poſtquam à centro longiùs receſ-

ſerint,

ſerint, à frigoris vi denuò in aquas calidas condenſentur, & aëris interni ſubtilioris interventu cum ſaltu projiciantur. Arduum ſanè hoc iterum, & creditu perdifficile apparet. Quis enim vel citra phantaſiæ eluſionem imaginari ſibi poterit, æquali ſemper ſemitâ, æquali copiâ, æquali tandem mineralium præſentiâ ac energiâ, vapores per terræ ſinus ita vagari, ut tandem in uno quaſi puncto in aquas calidas coëant, & violento niſu profluere per tot annorum ſeculorumque decurſus non deſinant?

3. Alii reperiuntur, qui calci vivæ, alii qui ſulphuri, rurſus qui bitumini, & qui lithantracibus &c. caloris thermarum cauſam aſſignare contendunt. Nolo autem quas quælibet harum opinionum difficultates patiatur alias nunc attingere. Saltem id diſputationem videtur habere: quomodo calx, bitumen, ſulphur, lithantraces &c. poſſint indeſinenter materiam calori ſuggerere, nec tamen vel ſeculorum edacitate conſumi? an quicquid jugi aquarum affluxu iis deraſum eſt, perenni quâdam generatione ſtatim reſtituitur? aut fortè ſufficient ſaltem calcis, ſulphuris, bituminis &c. halitus, qui thermales aquas calore

lore ac viribus impraegnent? Sed unde, quaeſo, tanto dictorum mineralium ubertas, quâ canales lignei, per quos aqua ad balnea fertur, craſſiſſimè induuntur? imò quae lapidibus, lignis, ovorum putaminibus guttarum caſui ad 24. horas circiter objectis inſtar cutis vel potius cruſtae durioris adnaſcitur? Enimverò abſurditatis, puto, culpam non effugiet, qui aut continuam abſumti reparationem finxerit, aut halituum tantùm ope thermas incaleſcere ſtatuerit. Illud enim vix mente licet aſſequi; hoc ſenſibus vim infert, corpoream ſcilicet mineralium praeſentiam ingenti ſatis copiâ teſtantibus.

4. Aliquibus quàm maximè viſum eſt credibile, in terrae viſceribus ex occurſu & colliſione duorum ſalium naturâ ſuâ ſibi contrariorum (ex acidorum nimirum & alcalium proſapia) efferveſcentiam excitari, quâ mediante aquis calor imprimatur. Hoc notis vulgò exemplis confirmare annituntur, quod ſcilicet ex commiſtione Spiritus Vitrioli cum oleo tartari, item quando aqua fortis ferro vel cupro affunditur, &c. calor valdè notabilis emergat. Sed & haec aſſertio non vacat dubio, dum ſtatim quaeritur,

ritur, quomodo ſalia iſta ab aquis abſorpta jugiter reſtituantur, ita ut præſtò ſemper ſint alia ejusdem naturæ, eâdem copiâ, eodem in loco, uniformem effectum jugiter producentia? Illud quidem inficiari nemo audebit, eſſe thermas ſalibus aliisque mineralium & metallorum particulis refertiſſimas; Sed hoc in quæſtione eſt, an illa dicto modo fervoris in aqua thermarum reperiendi cauſa ſint, & unde diſſipatis & expulſis ſuccenturiantia jugiter ſuppeditentur, ita ut nunquam deficiant?

5. Tandem miſſis quorundam ſententiis (quæ tamen cum hactenus recenſitis maximam partem conſonant) unicam adhuc memorabo, illorum ſcilicet, qui exploſis reliquorum cogitationibus ſuas ceu infallibiles propinare nobis ſuſtinent. Nimirum exiſtimant, omnem omninò calorem à ſole oriundum eſſe, nec ullum in locis ſubterraneis dari calorem vel ignem poſſe, niſi is priùs à Phœbeja lampade fuerit accenſus. Jam (ita ſcilicet pergunt inferre) ſunt certa quædam terræ foſſilia, in quæ ſol radios ſuos penetrantisſimè immittit, figit, eaque tàm vehementi calcinatione afficit, & fortiter excoquendo ita exſiccat, ut ea adveniens

niens poſtmodum aqua, veluti calcem vivam, ſed ob metallicam naturam longè potentiùs, & cum impetu longè majori accendat, atque hâc ratione æſtuantia illa ſubterranea vehementer exardeſcant. Quod ſi mineræ iſtæ duriſſimis profundiſſimisque montium cavernis incluſæ ab accedente aqua ſemel accenſæ ſint, tùm ab iis reliqua etiam mineralia in montibus hinc inde contenta, & ab aquis hiſce adhuc intacta, unà cum ſole, & longè efficacius etiam ſole, calcinari, exſiccari, & adeo torrida reddi, ut ſic ad æſtum recipiendum nunquam materia deeſſe poſſit. Verùm qui huic opinioni ſuum calculum adjicere haud vereatur, extra ſenſus affectusque poſitus ſit oportet. Quî enim credere poſſit, ſolares radios per ſaxa rupesque ad intima usque terræ penetrare, cùm tamen noverit, quòd iidem extra terram, nec murum craſſiorem, nec fornicem aut ſpecum pervadant? quî patiatur ſibi perſuaſionem indui, ſolares radios in profundisſimis montibus fosſilia calcinare, & torrida reddere, ut calcem vivam æmulentur, cùm tamen oculorum judicio obſervet, quòd eadem fosſilia in apricum poſita talem calcinationem patiantur minimè? Quî

cœco aſſenſu largiatur, modò memorata foſſilia per centum, imò mille, annos dicto modo exuri nec tamen conſumi? imò quî non alienum à veritate putet, quòd ſolares radii hyberno æquè atque æſtivo tempore eundem producant effectum, cùm tamen interdum incidentes, interdum reflexi, magis aut minus perpendiculares ſint. Enimverò ſupervacaneum duco plura indicare abſurda ex modò memorata hypotheſi ſubnaſcentia, cum quilibet abs ſe agnoſcat, arenoſo illam ſ. lubrico inniti fundamento. Hoc ſaltem addo, in explananda natura & origine thermarum absque ceſſatione ſcaturientium ita ad unum omnes ſe exhibuiſſe, ut animo veritatis avido minùs fecerint ſatis, relictâ ſemper hinc inde dubitandi materiâ. Nam illud mihi haud difficulter quilibet dabit, quòd uniformis ſemper effectus uniformem quoque & variationis expertem cauſam requirat. Hanc verò in relatis hucusque hypotheſibus inveniri poſſe quàm minimè, per breviter adducta puto facilè patere.

Jam non dubito, benevolum Lectorem ex me quærere velle, ecquamnam ego credam perpetuæ hujus ſcaturiginis calidæ cauſam

ſam poſſe ſtatui rectisſimè. Sed tanto hîc eſt quærere, quàm reſpondere, quanto audire, quàm definire ſententiam faciliùs. Nec quicquam ſolidiori fundamento proferam quàm quòd æquè parum certi ſtatuere valeam, atque alii ſtatuerunt. Semper autem præſtare arbitror, vel planè nullam, quàm abſurdis plenam rei alicujus cauſam determinare. Sed verò hæc dubio procul incertitudinis culpâ vacabit opinio, quòd hæc ſcatebra immutabili impetûs & virium lege, uno eodemque loco prorumpens, ſingulare ſapientisſimi Creatoris donum ſit, quo miſericordiam ſuam miſeris ægrotis voluerit elargiri. Et quamvis dubium non ſit, imò oculorum fide conſtet, quòd huic calidæ multorum mineralium ac metallorum ſemina viresque imò corporeas particulas indiderit divina bonitas, attamen (pro modulo ſaltem mei dicam ingenii) imperſcrutabile videtur, quomodo illa tot ſeculorum, imò tot millium annorum periodos indeſinenti copiâ ſufficere, ferventes efficere aquas, & uno eodemque loco citra variationem ſe exerere valeant. Enimverò non aliunde quàm à peculiari prorſus DEI T. O. M. benedictione hæc profluere omnia pu-

 tan-

tandum eſt, qui tempore creationis potentiſſimo effatu jusſit, ut hæ aquæ pari contentorum pondere, pari calore, & pari virium virtute ſine fine perennent. Non improbare quidem ſuſtineo aliquorum operoſam ſolertiam, quà illius rei cauſam infallibilem per quædam experimenta Chimiæ adminiculo eruere conati ſunt: Croco nimirum Martis fortiori igne calcinato, aut Vitriolo nativo pariter calcinato aquam frigidam effuderunt, unde ebullitio & excandeſcentia ſecuta eſt maximè notabilis. Inde autem haud vanâ perſuaſione concludi exiſtimârunt, quòd non tantùm juxta hunc modum in terræ viſceribus thermæ elaborentur, ſed & manibus quaſi palpare, nunc earundem cauſas & naturam, imò pro lubitu tales nullo ſumtu apparare valeamus. Sed ut ſilentio hîc involvam, neminem unquam ex hoc fundamento thermas naturalibus omninò ſimiles procreâſſe, unicuique hæc paucula tantùm expendenda relinquam: (1.) an firmâ perſuaſione credere posſit, in intimo terræ & montium per ſolares radios talem ferri aut vitrioli calcinationem poſſe contingere? (2.) unde nunquam emanens, ſed emanans jugiter

ter æqualis ad hunc Crocum Martis vel vitriolum calcinatum aquarum affluxus? (3.) quomodo posſibile, ut affluens exardescensque aqua omni momento plurimùm memoratæ materiæ imbibens, eam extra terram impetuosè projiciat, hæc verò nullo non tempore præſtò ſit, nec unquam deficere obſervetur? Quod ſi vel obiter ratio ineatur; quantum aquæ ſpatio quadrantis horæ cum impetu protrudatur, ſimul verò computetur, quantum materiæ ſingula libra aquæ in ſe contineat, incredibilis apparebit ſumma ejus, quod 10. annorum (taceo quod 100. imò mille annorum) ſpatio egeritur. Atque ut faciliùs fidem dictis adhibere benevolus Lector valeat, brevi dabo experimento: Sinatur ex canali ſive ſilano, qualem noſtrates aquario apponunt, aqua per epiſtomium, vel obturamentô foraminis ſublatô, exire in vas aliquod objectum, ſic ſpatio quadrantis horæ illa ultra 125. menſuras accumulabitur. Quod ſi tantum unciæ 32. ſ. libræ duæ ponderis civilis menſuram efficiant, prodibunt ſpatio

$\frac{1}{4}$. Horæ 250. libræ, ſ. $2\frac{1}{2}$. centenarii.
1. Horæ 1000. libræ ſ. 10. centenarii.

Sed verò hîc fidem appello, non exoro assensum, omnium eorum, qui thermarum scatebras attentiùs inspexerunt, num vel decuplâ quantitate ex voragine sua, cum impetuoso strepitu & saltu, ac pulsu quodam repetito, thermæ prorumpant, atque vel ex epistomio ad modum descriptum, aquæ soleant decurrere? Neque tamen ita omninò calculum instituam, sed dimidium quanti, quo minus sit errori locus, saltem assumam, ita ut si profiliens thermarum moles quinquies superet illam epistomio profluentem copiam, tunc provenient spatio

$\frac{1}{4}$. horæ 1250. libræ s. 12$\frac{1}{2}$. centenarii.
1. horæ 5000. libræ s. 50. centenar.
24. hor. 120000. ℔. s. 1200. centenar.
7. dier. 840000. ℔. s. 8400. centen.
1. anni 43680000. ℔. s. 436800. cent.
100. annorum 4368000000. ℔. sive 43680000. centen.
1000. annorum 43680000000. ℔. s. 436800000. centen.

Enimverò admiranda hæc est aquarum copia indesinenti impetu scaturientium. Quantum verò illæ contineant materiæ, juvabit nunc penitiùs considerare. Occasionem

onem ſuggerit experimentum ante annos non ita multos ſuſceptum à quodam cultore Chimiæ experto, eôdemque M. D. qui hortatu Patroni curioſi aquam thermalem, quid in ſinu gerat, explorare peculiari modo Lipſiæ tentabat. Nec vanum quidem hoc ipſius ſtudium videbatur, inventâ ſcilicet materiâ, quæ poſt ulterius examen exhibuit (1.) terram inſipidam. Hæc autem cum acido affuſo vehementem ebullitionem excitavit, cæteroquin haud abſimilis cruſtulæ illi ſalinæ, quæ aquæ thermarum refrigeratæ inſtar cuticulæ ſolet ſupernatare. (2.) Sal alkali fixum, quod itidem cum accidis efferbuit, de cœtero autem omnes proprietates oſtendit ſalis tartari calcinati. Peractâ ſupputatione deprehenderat, quòd in 28. ollulis (qualis nonnunquam quantitas aquarum uno mane aſſumta ſufficit; in quibusdam augenda eſt.) uncia una cum duabus drachmis reperiantur. Quamvis verò ex arbitratu meo viſibilis hæc materia adæquata non ſit pro contentorum multitudine, multò minùs pro cauſa operationis Carolinarum determinanda, attamen hoc in tantum accipiam, quòd dicta materiæ quantitas in ſingulis 28.

 ollu-

olfulis, (quæ 4. menſuras vel 8. libras ad minimum replent) diſſoluta fluctuet. Hinc porrò ita licebit inferre: Quando per quadrantem horæ 1250. libræ f. 12. cum dimidio centenarii aquæ calidæ impetuosè proſiliunt, ceu ſuperiùs demonſtratum, tunc ſimul 12. libræ unciæ tres cum duabus drachmis materiæ propelluntur; atque ita per horæ ſpatium 5000. libræ f. 50. centenarii exhibebunt materiæ 48. libras ℥xiij. per 24. horas provenient materiæ XI. cent. 71½. ℔.
per 7. dies LXXXII. centenar. ½. ℔.
per annum 4264. centenar. c. 26. ℔.
per ann. 100. 426426. centenar.
per ann. 1000. 426426000. centen.

Ut adeò ex hac deductione intelligi queat facillimè, nodum illum Gordium à nobis ſæpiùs tactum de tantæ molis materia, ejusque continua abſumtione, & tamen eodem in loco, perpetuo proventu, & æquali præſentiâ, ſolutionis conatum omnem eludere, atque unde nexus incipiat, quôve ſe condat, nec ratione, nec viſu percipi poſſe. Valeant itaque illi, qui vinculum hoc arctius implicatum ſuo aſſerto de fosſilium per ſolares radios in intimo montium calcinatis, & cum aqua ſcaturiente eructatis jam reſo-

lutum

lutum esse arbitrantur. Ficulnea licet & infirmissima tela pronuncient negationis nostræ, quòd tanta solis atque caloris vis ad profundam fossilium matricem per saxa rupesque descendere nequeat; nunquam tamen in suas nos partes pertrahent, nisi solidioris probationis argumento, quàm usitatâ ipsis principii petitione fuerint instructi. Nos interim brevi sententiæ nostræ superiùs jam declaratæ repetitione venerabundi agnoscimus divini Numinis ordinationem, quâ thermas æquali contentorum & energiæ vi eodem in loco prosilire jussit perpetuâ sic lege perennaturas. Quod si tamen aliis liceat felicioribus esse in perscrutanda & invenienda thermarum natura, nos ipsis ex toto animo gratulabimur. Caveant tamen, ne scyllam à nobis monstratam evitaturi in charybdin incidant minùs forsitan prævisam.

Nos verò nunc progrediemur, quantum licet indagaturi, ecquid in se contineant thermæ, & quæ præstans generosissimæ operationis vis sit?

Initio advertimus diversorum in hac re diversam solertiam. Quidam enim destillationis beneficio, quidam præcipitatione

 cum

cum aliquorum liquorum affusione, nonnulli etiam evaporatione, vel exhalatione, experimenta solent suscipere. Sed quantum vanitatis hoc illorum studium habeat, libero cujusvis judicio permittam.

Nam quod (1.) ad destillationem attinet, in vulgus notum est, illam, quocunque modô [scilicet vel per cucurbitam cùm superimposito alembico, vel ad latus per retortam] demum adornetur, non nisi ignis adminiculo peragi. Quodsi jam fluidum aliquod destillationi subjiciatur illud igne motore mox exagitatur, ita ut & volatiles quas secum habet partes, & simul vapores dimittat. Tùm verò sic excussæ fluidum constituentes particulæ, facilè in minores discerpuntur, adeoque ut illarum magnitudo, sic & figura & situs ita mutantur, ut reverà quales erant anteà, non appareant ampliùs. Si plus ultra invictus tendit ignis impetus, dum quasdam mixti destillationi expositas particulas minimas, oculi aciem vel microscopio armatam effugientes destruit, nonnullas distrahit, atque vi quasi expellit. Imò licet vitra Hermeticè sigillentur, non tamen illæ in his retinebuntur, per poros visu non deprehendendos, exitum inventuri.

Id

Id quod temerè non negabunt, qui doctiſſima Anglorum quorundam ſcripta perlegerunt, aſſerto huic fidem prolixiori probatione facientia. Enimverò ejusmodi minima in natura reverà dantur, quæ ſenſus planè non incurrunt; ſi tamen inter ſe coëant cohæreantque, in corpora ſatis magna compinguntur, à quibus etiam deinde iterum exhalant. Nolo hîc tædiosâ repetitione referre, quæ à doctioribus hujus rei documenta proferuntur, longè plurima. Saltem hæc attigiſſe paucula ſufficiat, quòd obſervemus vinum ab infuſo vel croco metallorum, vel vitro antimonii, vim emeticam contrahere, cum tamen utrumque etiam poſt plures infuſiones nihil de pondere ſuo amiſiſſe videamus, Nihilo tamen minus neceſſe eſt, aliqua minima de illis ramenta incredibilis parvitatis vino conceſſa fuiſſe, cum aliàs ipſi emetica qualitas absque ſubjecti cui inhæreat, communicari haud potuerit. Par ſanè ratio eſt Mercurii in aqua ſic dicta Hermetica contra vermes; item antimonii in decoctis ſudoriferis depurationi ſanguinis inſervientibus, quorum ab utroque liquoribus, quibus infunduntur, quædam inſerantur minima oportet, utut de

pon-

pondere ipſorum nec minimum deceſſiſſe appareat. Quod ſi itaque talia minima per ignem diſſipentur vel abigantur, ineptum ſanè foret, ſubſtantias illas in deſtillationis labore cōſpicuas, ſive prolecti phlegmatis, ſive ſalis, ſive mercurii aut ſulphuris denique & terræ damnatæ larvâ oculis ſubjiciantur, pro veris principiis ſive elementis rei deſtillatæ venditare. Quis enim ſe ſponſorem dabit, vel certò decidet, utrum illæ per deſtillationem ſecretæ & disjunctæ ſubſtantiæ concreto integro actu inextiterint anteà, adeoque ſaltem ſeparentur; an verò potiùs per ignem ſimul veluti commutentur, mutatâ ſcilicet, ut anteà dictum, minimorum figurâ, ſitu, cohæſione & coagmentatione, imò per colliquationis aliqualem modum nova parentur. Ut adeò facilè ſit colligere, probationem thermarum pro inveniendis illarum contentis hoc modo inſtitutam vano prorſus conatu ſuſcipi. Id quod vel inde à poſteriori, quod dicitur, eluceſcit, quòd quamvis protruſæ per deſtillationem ſubſtantiæ cum reſiduo commiſceantur, ac artificio laborioſiſſimo denuò combinētur, nunquam ita tamen ſibi connubant iterum, ut thermarum aquas omninò referant ac poſtliminiò reddant.

(2.)

(2.) Quod præcipitationem ſpectat, nemini ignotum eſt, quod per hanc particulæ rei ſolutæ ex poris ſolventis interventu cujusdam tertii deturbentur, quæ liquorem anteà clarum obſcurant, paulatim verò ſubſidendo vel fundum vaſis petunt, vel ad ſuperiora tendunt. Cauſa, cur ita particulæ è ſuis poris extrudantur, una non eſſe videtur. Interdum enim aucta illarum moles, dum nimirum ex præcipitante ipſis aliquid adhæret, in poris anguſtioribus contineri nequit. Interdum quoque per præcipitantis affuſionem pori nimium vel conſtringuntur vel laxantur, ut ita particulæ contentæ excludantur, de quo utroque non unum exemplum in promptu eſſet, ſi adducere talia ad præſens negotium quicquam pertineret.

Saltem quoad primum modum hæc paucula memoro, quod obſervemus magiſteria vegetabilium in duplo ferè ſuperare pondus vegetabilis ſoluti, aperto indicio, quod ab affuſi præcipitantis particulis hujus quoque minimis moleculis aliquid quaſi accreverit. Sic in rectificatione, quam dicunt, ſpiritus vini ſine deſtillatione ſimile quid deprehenditur, dum nimirum ſal tartari in crucibulo probè calefactum illi ſpiritui oppidò

parùm à ſuo phlegmate liberato certâ quantitate inditur, atq; vas extemplò obturatur. Tùm enim poſt aliquot horarum ſpatium ſupernatante ſpiritu phlegma in fundo reperitur gravius, alcalicis ſcilicet ſaturatum particulis, id quod præter ſaporem & tincturam lixivioſam ex pondere ſenſibiliter aucto cuivis de facili innoteſcet. Nolo autem hîc plura accumulare, quibus evinci poſſit, præcipitationis medio larvam tantummodò contentorum ex præcipitantis adhæſione enatam, non veram illorum faciem obtineri, adeoque certum de iisdem judicium hâc ratione ferri non poſſe. Nam ſicut neceſſariò particulæ aliam ſic induunt figuram, magnitudinem ac ſitum: ita noſtris ſenſibus non poſſunt non aliter ſeſe præſentare atque ab iisdem judicari.

Taceo nunc lubens, quòd eædem in liquore quodam fluctuantes particulæ pro diverſitate præcipitantium, per quæ poris ſuis expelluntur, varias attritiones, diviſiones aliasque alterationes patiantur, adeòque pariter figuras, colores atque ſitum mutent. Sic mercurii ſublimati cum aqva vel forti vel communi facta ſolutio, ſi cum oleo tartari per deliquium præcipitetur, rubicundum

ſive

ſive mixtum pulverem; ſi cum calce viva flavum, & cum Spiritu ſalis Ammoniaci album dimittit, indubitato argumento, mercurii particulas variè affectus fuiſſe, earundemque figuras & ſitum transformationem quandam perpeſſas eſſe.

Cùm itaque hâc ratione conſtet, in ſupervacuo præcipitationis labore operoſam ſed fruſtraneam collocari ſedulitatem, pauciſſimis adhuc perveſtigemus, quid tertio tandem evaporationis beneficio exſpectandum ſit. Non verò quempiam latere facilè poteſt, illam vel vaſe aperto, vel leviter ſaltem chartâ tecto peragi, idque vel calore balnei, vel arenæ, vel fornacis calidioris impoſitione, &c.

Quocunque verò demum modo fiat, ſemper tamen humiditas aquea paulatim exhalat, cui ſi partes ſimul volatiles atque ſalino-ſulphureæ ſint immixtæ, hæ ſimul exſpirant, remanentibus in fundo craſſioribus gravioribusque. Jam ſi hæc ipſa ad rem præſentem applicemus, ecquis crediderit temerè, deſideratum hoc modo ſcopum obtineri, i. e. vera thermarum Carolinarum contenta ſic ob oculos poni? maximè poſtquam experientiâ vel millies confirmatum

eſt,

eſt, ſi calidiſſimæ ſorbeantur aquæ, operationem ex voto ſuccedere; deficere autem ſ. corrumpi potiùs in corporis tormentum, ſi tepidæ aut refrigeratæ aſſumantur. Unde neceſſe eſt colligere, quod ſi abs ſe fatiſcente thermarum calore vires ſimul deperdantur, ſine dubio harum jactura longè major ab evaporatione metuenda ſit, reſiduo certè nihil certi de contentis indicaturo.

Sed utut hæc ſe habeant, videas tamen, qui de his thermis unquam commentati ſunt ad unum omnes de contentorum multitudine multa, ſed unô ore pariterque unâ ſerie referre. Sic ſuſpicari omninò licèt, ſemper alterum alterius veſtigia legiſſe, & vel ideò perſuaſum habuiſſe, has & illas mineralium metallorumque partes in thermis contineri; quoniam anteceſſores ſic putârunt. Enimverò Romano-Catholicæ hoc fidei documentū eſt credere, quicquid credit Eccleſia; Sed non itidem aſſerendæ veritatis indicium eſt, pro vero habere, quod verum eſſe ab aliis judicatum eſt. Ita verò obſervamus omnes & ſingulos perhibere, quòd thermis hiſce Carolinis inſint lapis calcarius, boli varii generis, nitrum, alumen, minera Martialis, vitriolum, vapor

bitu-

bituminoſus cum volatili ſulphuris ſpiritu; quibus aliqui venam auri & cupri ſimul adjungunt. Non tamen aliud quicquam reperitur in ipſorum ſcriptis, quò demonſtrari hujus opinionis certitudo queat, quàm materiæ cum aquis projectæ varietas ipſa, mineralia diverſis coloribus in oculos omnium quaſi ingerens. Sed verò quis omnia illa reverà vidit? ecquis ſpiritum ſulphuris volatilem in thermis deprehendit? ecquis reliqua? imò ſi quis illa in univerſum cuncta reverà in muris & canalibus, ad quos thermarum aquæ alluunt, oſtendere intuentibus queat, quis aſſeverare ſuſtineat ſub avolatione humiditatis mera tantùm calidarum contenta concreviſſe, ſpreto prorſus aëris imperio, quod ille in rerum combinatione ſ. coagmentatione exercere alioquin ſolet. Nam neminem latere facilè poteſt, quod unum idemque ſubjectum diverſam omninò faciem pro aëris, cui expoſitum, diversâ craſſitie, atque hinc preſſurâ magis aut minus conveniente exhibeat. Ut adeò difficile futurum ſit conjicere, ad quam mineralis ſpeciem hoc vel illud referendum ſit, cùm diverſa unius ejusdemque pro aëris diverſitate conditio facilè

C poſſit

poſſit obſervatorem illudere. Adhæc ſi reverà paulò ante memoratæ materiæ [non quicquam aliud præterea, ceu vulgò in ſcriptis aſſeritur] in thermis continentur, hasque conſtituunt, cur ex iisdem in ſubtiliſſimum pulverem redactis, atque ebullienti aquæ remixtis non novæ parantur thermæ? cur idem effectus, qui calidarum aliàs potum conſequitur, ſe non prodit, ſi ejusmodi liquor paratus magna doſi bibatur? Præterea autem mirari ſubit, auctores in definiendis thermarum contentis planè non reſpexiſſe ad operationem ab ipſis proficiſci ſolitam. Unde enim catharcticam vim, eamque haud proletariam nunc deducent? non ſanè à lapide calcario: non à bolo aut nitro: non ab alumine, aut vitriolo: non à marte aut bituminis vapore, ſulphurisque ſpiritu. Qui enim naturas ſingulorum perſpectas habet, haud difficulter advertet, illa omnia adæquata non exiſtere pro exhaurienda thermarum purgandi, diureſin & ſudores ſimul movendi facultate. Ergò præter illa aquarum elementa aëris occurſu in & ſub aqueæ humiditatis exhalatione variè cõbinata, quæ nunc boli, nunc vitrioli, mox mineræ Martialis, aut lapidis calcarii larvâ

ſe

ſe ſiſtunt, aliud quid lateat oportet, à quo mirabilis operandi poteſtas proveniat.

Quamvis verò jejunum foret, hanc ingenii mei labore figurare, cùm ſuperiùs dixerim, ſapientiſſimi Creatoris juſſu perpetuas thermarum vires coaluiſſe; humano ſcrutinio facilè non evolvendas; abſurdi tamen nil puto, inferet ſtatuere, in particulis longè minimis ſenſum omnem effugientibus, & volatilitate, quæ dicitur, ſummâ præditis potiſſimum ἐνέργειαν eſſe reconditam. Habet quidem quandam veri ſimilitudinem nonnullorum conjectura, fumis quaſi metallicis iisque ſalubribus, mineralium, metallorumque primo ente turgidis, imprægnari thermarum aquas. Ac ſicut ſubtilitate illi maximâ gaudeant: ita mirum non eſſe, ſi & eorum operandi vis ſe exerat longè excellentior. Jam pernoſſe illos, qui interiora terræ æris eruendi causâ perreptant, quòd aër in quibusdam fodinis benignus, in aliis admodum noxius deprehendatur. Atque id quidem pro varietate minerarum hîc vel illîc obviarum ſolere contingere, ita ſcilicet, ut e. g. mineræ ſolares, Lunares &c. exhalationes eructent haud malè ſanas; arſenicales è contrario venenatas.

 Hinc

Hinc attentiore cogitatione aliquem ſibi fingere poſſe, antimonialibus, nitroſis, &c. fumis ita calidas haſce aquas eſſe plenas, ut inde aperiendi, purgandi, lotiumque & ſudores provocandi virtus reſultet. Verùm hîc ſtatim nova dubiorum ſeges oritur. Quis enim temerè crediderit, auram mineralem ex ejusmodi tantùm mineris efflari, quæ aliàs in valetudinis commodum medicamenta præbent. Eâdem ſcilicet ratione, atque nemo facilè fidem dederit, in fodina v. g. Joviali, ubi plurimum æris ſtanno divitis [quod **Zwitter** nominant] eruitur, non alios niſi exhalationibus Jovialibus refertos fumos reperiri? cur non altera minera, quam **Wolffram** vocant, ſuum conferat ſymbolum, cùm hæc intermiſta æri ſtannifero tantùm non ſemper inveniatur? atque hanc veneni non expertem nôrunt per ignem exploratores. Jam probabile, omninò eſt, ipſius elementa formalia ſimul in fumis iſtis contineri. Et poſitô ex minera Joviali ſolùm vapores elevari, an proinde nihil nocivi metuendum? quis unquam vidit glebam ſtanni plenam adeò puram, ut heterogenii nihil, nihil noxii(**Unart** appellant) admiſtum fuerit? adhæc quis

quis ſponſor erit, nullas fortè fibras occultas (heimliche Klüffte) aperiri, quæ effluvia aliorum mineralium aut metallorum emittant? enimverò ſubdola, imò falſa hæc argumenti vis eſt: hîc minera effoditur hôc vel illô metallô aut minerali gravida; E. non alii, quàm inde reſultantes fumi volitant. Id quod per hactenus dicta facilè evincitur. Sed & hoc tantiſper concedamus, minima illa, quibus operandi vim maximam attribuimus, ſub fumi mineralis ſchemate aquis inſinuari; quis verò toties memorato dubio, quod hîc quoque implicatur, ſatisfaciet? quomodo fumi minerales eâdem ſemitâ, eâdem quantitate & qualitate, eôdem modô thermis immergantur, idque ſine ulla prorſus intermiſſione? Enimverò quicquid hîc effinxerit ingenioſa quorundam ſedulitas, id omne rationum infirmitate laborare facilè advertet curatiùs examinaturus.

Ego qui obtuſioris ingenii conſcientiâ me metiri optimè novi, malo hîc fateri ignorantiam meam, quàm cum perpetuo dubiorum recurſu me committere. Manebo tamen intra hanc menſuram meam, ſi dixero, thermarum aquas mineralium metallorumque diverſorum diverſis particulis,

ſummè nimirum volatilibus partim, partim fixioribus & craſſis divinâ benedictione ita eſſe refertiſſimas; ut ſi bibantur, & alvus, & urina atqua ſudor inde valeat provocari; modum tamen mixtionis ac perennantis ſcaturiginis citra conjecturæ lapſum haud poſſe omninò determinari. Pari ferè ratione atque ſolidâ concreta obſervamus longè plurima, ignis adminiculo recluſa, ſubſtantias præbere diverſiſſimas, ſui tamen cohæſionis modum & proportionem indaganti non prodere. Sic notum eſt, ex minera illa, quam **roth gültig Ertz** vocant, laborantium ſolertiâ ſpiritum ſubacidum & ſulphur aureum prolici: ab aliis alio modo oleum inde provocari quodammodò rancidum, reſiduo ſaliformem materiam exhibente. Sic illud mineræ vulgaris genus, quod **Glantz** appellant, pro vario ſcrutantis labore varias dimittit ſubſtantias, ſub uno tamen ſimplicique obtutu non deprehendendas. Ut nihil nunc memorem de biſmutho & minera ♂ Haſſiaca, quæ ambo ſub vario tentamine explorata vel mille materias ſiſtunt. Quis verò temerè crediderit, illas eâdem facie, & ſolas, non plures, in dictis ſpeciebus æris præextitiſſe, nil verò illa-

rum

rum vel avolâſſe, vel ſub violenta ignis imperio aliam induiſſe figuram? aut quis à priori determinabit, quâ ratione contenta ſibi invicem connupſerint, atque in tale concretum coaluerint? Ita ſine dubio etiam concreta fluida diverſiſſima mineralium metallorumque ſalia ſub uno componere, ac continere liquore poſſunt, quorum omnium tamen modum mixtionis à priori deſcribere impoſſibile omninò fuerit.

Nunc autem porro diſquiritur, utrum internus thermarum uſus in ſanitatis emolumentum conducat? an verò potiùs invaletudinis periculum inde immineat? ridiculoſæ ſimplicitatis quidem foret, priorem quæſiti partem negare, cum innumera à thermarum potatione reſtitutorum exempla ſalubritatem abundè teſtentur. Hinc ſupervacaneum puto hîc allegare perſonas ſereniſſimo faſtigio celebres aliasqve humili ſorte viventes, omnes tamen communi internoque thermarum uſu ad ſanitatis perfectionem reductos. Sed alterum quæſtionis membrum quam plurimi haud absque ratione affirmari poſſe arbitrantur. Cùm enim cuivis ad oculum pateat, quòd non tantùm canales lignei, quibus aquæ calidæ

in domos derivantur; ſed & ipſa balnearia aliæque res variæ vel guttarum ſaltem caſui objectæ, brevi horarum 20. vel 24. ſpatio, cruſtam quaſi induant petroſam, hinc pertimeſcendum eſſe opinantur, ne ſimile quid in bibentium corporibus contingat. Semper enim aliquid hærere poſſe, ut inde vaſa meſenterii lactea repleantur aut obturentur tophaceâ quâdam materiâ, in præſentiſſimum valetudinis detrimentum. Imò calculo obnoxios omnino à thermarum uſu arcendos eſſe, quòd inde lapillis in renum ſinu vel etiam extra illum latentibus ſine dubiò ſaxei aliquid accreſcat, adeoque magis intendatur augeaturque malùm, quàm minuatur.

Sed verò vanus hic metus, vana tantùm perſuaſio eſt. Quod tophi ab aqua enaſcantur, ſi nimirum illa fuerit refrigerata, avtopſia cujusvis comprobat. Quamdiu autem in olla ſuper prunas detinetur, coire in ſaxum nunquam obſervabitur. Ergò idem hic, quod cum aliis ſolutionibus in chemia obviis ſolet accidere. Nimirum quamdiu in poris liquorum per calorem dilatatis contenta ſpatium neceſſarium obtinent, tamdiu in iisdem permanent, viſusque

aciem

aciem effugiunt. Simul ac verò frigoris vi pori constringuntur, quasi & fiunt angustiores, tunc denegato contentis spatio, debito ipsa vel ad fundum, vel ad superficiem excluduntur, visuique se postliminiò sistunt. Ergò ante refrigerationem pati thermæ debent, aërisque simul liberioris vim experiri, quàm coagulentur, aliisque rebus accrescant necesse est.

Quis autem crediderit in viventium corporibus, ubi calor satis notabilis abundat, simile quid contingere posse? maximè cum & aëris liberior accessus denegetur, ac præterea natura sui conservatrix ut aliàs excrementa particulasque crassiores pro nutritione ineptas, expellere solet, ita quicquid ab epotis thermis terrestrioris forsan materiæ separetur, potiùs exturbabit, quàm relinquet. Ut taceam ab aliis allatam rationem in animalibus varii generis post mortem dissectis nunquam tophos reperiri accretos, cùm tamen ea pabulum omne thermarum aquâ subactum jugiter accipiant. Cùm itaque hâc ratione plus calidæ istius per singulas anni septimanas illa in se recipiant, quàm toto curæ decursu adventores ebibunt, dubio procul in ipsorum defunctis corporibus

lapidifica aquarum vis deprehendenda esset, cujus tamen ne minimum vestigium apparet. Subaudire hîc mihi videor haud levem objectionem, quòd unus vel alter calculo obnoxius à repetito thermarum usu dolores incurrerit graviores, quàm unquam anteà, imò lapillos inde excreverit longè grandiores. Hinc facilem conclusionem; thermas potiùs calculorum incremento, quàm imminutioni aliquid conferre. Verùm aliam hîc rationem subesse, facilè advertet citra præjudiciũ animi rem penitiùs paulò pervestigaturus. Dolores utique potuerunt ingravescere, ex distensione nimirum universi renum parenchymatis, cujus minimos tubulos & canaliculos thermarum aquæ repleverunt ac pervaserunt haud tantùm; sed & vi suâ lithontripticâ calculos majores firmiùs alicubi hærentes sede suâ tandem moverunt. Hi verò perverso forsan situ, aut plures numero simul ureteres ingressuri, immanes sine dubio dolores excitârunt. Sed tamen à posteriori hoc ad beneficium potius ingens putare convenit, quàm insonti calidarum potui dicam scribere. Majus enim periculum metuendum fuisset ex diuturniore calculorum retentio-
ne,

ne, cùm dubio procul ex eadem, quâ anteà, materia paulatim grandiorem molem fuiſſent acquiſituri, ac forſan aliquando pelvim, ubi in ureterem ſe exonerat, penitùs obturaturi. Et tale quidem exemplum fœminæ cujusdam liceret adducere, quæ per undecim dies omnimodâ urinæ ſuppreſſione laboraverat. Hæc extincta & aperta utriusque ureteris principium calculo grandiore quaſi cuneo obſeſſum exhibuit, ut inde ne gutta quidem lotii ex renibus potuerit deſcendere. Regurgitavit autem hoc in maſſam ſanguineam habitumque corporis, ac in capite imprimis ſubſtitit, unde epilepſia & mors inſecuta.

Sed cùm hoc à ſcopo noſtro abeat, nolo id prolixiore recenſione perſequi. Potius aliam aliquorum dubitationem ſubnecto, qui hydropem ex copioſo calidarum hauſtu produci arbitrantur. Nec fruſtrà quidem hoc ſibi perſuadere opinantur, cùm ventriculi & inteſtinorum imperio tàm vaſta aquarum epotarum quantitas haud pareat, ſed vel invitis elabatur mox habitum corporis occupatura. Verum enim verò nec hoc dubium à legitimo thermarum uſu quempiam abſterreat. Ex ſuperiùs enim dictis oppidò

pidò liquet, illas mineralium metallorumque ſubtiliſſimis particulis refertas eſſe. Hæ verò otioſæ non ſunt, ſed ventriculi potiùs actionem hîc certo modo adjuvant magis, quàm eludunt. Et poſito, quòd citò per inteſtina & vaſcula meſenterii minora ſive lactea transeant penetrentque in habitum corporis, num inde ſtatim hydrops orietur? Id quidem potatores ſæpiusculè obſervant, quòd brachia cum pedibus à potu calidarum tumefiant. Verùm & hoc annotant, quòd poſt primum vel ſecundum balnei uſum ſtatim tumor evaneſcat omnis. Ergò tantum abeſt, ut hydropem excitent thermæ, ut potius illum profligere valeant; ſicut exempla quamplurima teſtantur, & obſervationes inferiùs memorandæ fuſiùs confirmabunt. Tandem quantum ponderis habeat majorum aliquorum auctoritas, qui internum thermarum uſum averſati penitùs ſunt, pauculis tantùm placet adjicere.

Statuerat ſcilicet Medicus quidam eruditionis laude & praxeos felicitate celeberrimus, non ſine valetudinis ſummo periculo intra corpus aſſumi thermas Carolinas. Rationem ſemper adjunxerat ſuo aſſerto, quod nimirum Præceptor olim ſuus, Vir famæ maxi-

maximæ, vel centies deprehendiſſet, nemi-
nem, qui iſtas ita hauſerit aquas, in tertium
usque annum vixiſſe.

Ego verò ægrotorum curam poſteà ſuſcipiens memor iſtius moniti; fideliſſimo [ut opinabar] conſilio ſuaſi adituris has thermas, ut internè illis uti omninò refugerent, niſi periculo mortis certiſſimo ſe immergere vererentur. Atque ut dicto fidem adſtruerem, ſemper iſtius veterani Medici obſervationem inſtar regulæ quovis auro pretioſioris allegatam, quâ certè aliqui permoti à potatione calidarum abſtinuerunt. Sed poſt 10. circiter annos ipſe cum ægroto illuſtri thermas accedens oppidò multos conſpexi, qui ante 10. & plures annos illarum vires ſalutares experti tùm denuò ad ipſas confugerant. Aderat ſimul percelebris civitatis cujusdam montanæ Conſul, qui 36. annos continuos illarum auxilio nixus octogenarii propè ætatem vegetus attigerat. Cùm ergò expertem veritatis reperirem toties oggeſtam laudati Medici experientiam, facillimè ſententiam mutavi, & per 14. nunc annos ægrotis longè plurimis tutiſſimum hoc ſanitatis præſidium ſuaſi, quod ſanè tantum non omnibus in valetudinis emolumen-

mentum cessit. Etenimverò suadere deinceps idem quoque non desinam

- - *dum spiritus hos reget artus.*

Verùm cum ex dictis hactenus satis elucescat, thermas potas innocentiâ ad omnem legem exactâ frui, non immeritò nunc in tempus inquiritur, quô illæ validæ magis, adeoque ad usum utilissimæ deprehendantur? permultos enim occupavit opinio, veri primas omninò deberi, universo scilicet naturæ ambitu ad jussum divinum tunc se renovante. Quod si verò superiùs à nobis tradita hûc revocentur, ut nimirum potentissimi Creatoris nutu hæc calidarum scaturigo prorsus immutabilis creata, & usque huc conservata est: ut pari omninò impetu atque calore, uno tempore æquè atque alio protrudatur, haud difficulter patebit, illam renovationis legem ad ipsas thermas non pertinere. Has tamen hiberno æquè ac verno tempore suam virtutem ad bibentis votum exerere, multiplex ostendit experientia. Imò testantur ibi habitantes Dni. Medici, aliquos ante hâc militum duces hiemali tempore [quod alio non licuerit] optato successu calidas assumsisse. Et nôrunt prætereà loci incolæ idem sæpius experti

perti

perti, quòd quôvis anni tempore easdem thermæ vires ſoleant probare. Verno autem majorem obſervari adventorum confluxum, vel ſocietatis causâ forſan fit, quoniam tunc ipsâ numeroſiore occaſio ad varias cum luſu recreationes parata eſt], vel quod ſuaſu præconceptæ opinionis verisſimum habeatur, illo anni tempore vim & operationem illarum conſpici potiorem. Cæterum ſicut exuperans M. Julio æſtus, atque incommodum pro itinere ac balneo hiemale tempus curæ locum non relinquit: ita Majus, Junius, Auguſtus & September hanc ſibi prærogativam vendicare videntur. Imò poſteriores duo menſes certâ ratione reliquis ferè prævalent, æſtu nimirum tunc plurimùm remittente, habitaculis commodioribus quoque inveniendis, & ſocietate retrò creſcente, ac curam minus interturbante. Saltem id dubii quorumdam adhuc animos habet; num uno anno præ alio majori thermæ ſalubritate fruantur? Cum enim impetuoſa, frigida, & aquoſa tempeſtas ſæpenumerò admodum diu continuet, vitium inde thermalibus quoque aquis affricari arbitrantur. Imo ſi hiems immodeſtior præceſſerit, ac gelu terram ad

ulnas

ulnas aliquot congelaverit, non posse non fieri putant, ut insequenti vere inertes illæ ac nocuæ deprehendantur, ac necessariò curæ procedant infelicissimè. Nam ab egelida terra ac aliunde plurimas cruditates infundi thermis, quæ turbare potius, quàm sanum præstare corpus, imò seminia morborum alicubi delitescentia excitare potiùs quàm pessundare valeant. Atque hæc omnia experientiâ hujus ipsius anni referunt comprobata. Nam permultos ajunt ab epotis aquis vehementer læsos, invalescente scilicet inde ipsorum invaletudine. At verò hunc nodum difficilem difficilè forsan non erit dissolvere. Quòd aëris qualitas, quæcunque demùm fuerit, ne minimam quidem mutationem calidarum scaturigini afferat, quilibet de facili cognoscet penitiùs consideraturus, ex quanta profunditate, & quàm admirando prorsus ac citato impetu prosiliat. Enimverò nec illabentes pluviæ, nec ab egelida terra confluentes aquæ ipsi possunt admisceri, aut labem insinuare, jugi propulsionis impetu id prohibente. Et quomodo quis, defixo attentiùs in scaturiginem obtutu, sibi poterit persuadere, in toto isthoc tractu, quo sub terra ferventes hæ

aquæ

aquæ copiosissimâ vaporum calidorum dimissione proveniunt, inclementiùs gelu nidulari posse? Ac posito tale quicquam reperiri, ecquis citra spontaneam sui illusionem firmissimè credet, eò in loco, ubi vaporatio calidissima penetrat pervaditque omnia, congelationem vel per X. dies, [ne dum in Majum usque & Junium] perdurare, tunc verò resolvi, ac nascente exinde cruditate thermas infici posse, malignam deinde operationem edituras? Non sanè dubito fore, ut quilibet, qui naturam frigoris atque caloris perspexerit, ac citra præconceptam opinionem, candidam pro veritate sententiam ferre voluerit, facilè confessurus sit, quòd dicto modo impuritas conciliari thermis valeat nulla. Quòd verò nonnulli ægrotorum ab usu illarum nupero pejus habuerint, unius forsan causæ effectus in omnibus non fuit. Sed cùm lateant singularum circumstantiæ curarum, rimari illas nunc diligentiùs non licebit. Saltem id indubitatæ veritatis est, quòd unus idemque æger hoc anno salutiferas sibi persentiat calidas, quas alio anno, cùm aliam humores ejus constitutionem forsan induerint, ferre potest minimè. Prætereà nonnulli diætam, & quæ eò

pertinent, obſervant negligentiùs. Quod ſi posteà tumultus in corpore morboſi ſuboriantur, non ſuam amant incuriam, ſed potiùs innocentem potum thermarum accuſare. Imò ſecundâ curâ duriùs paulò corpus exagitante, deſiſtunt planè ceſſantque bibere, cum tamen modo pergerent, natura tandem manus victrices efferret, meliore deinde ſanitatis ſtatu devoratas moleſtias eluente. De cætero ſi reverà allegatæ cruditates hoc anno nocivam procuràſſent operationem, non immeritò porrò quæritur, cur non omnes potatores aquarum malè inde habuerint? & cur illorum pars longè maxima ſe belliſſimè inde valere gloriata ſit? Imò magna tum nonnulli incomparabiles thermarum vires, ob valetudinem planè reſtauratam, deprædicaverint? Ego quidem perſuaſiſſimus ſum, quòd ſententiæ illi ſemel prolatæ renunciare difficillimum fuerit, adeoque conquiſitis ſtudioſè argumentis forſan defenſio apparanda ſit. Sed num hæc contra veritatem evincere quicquam valeat, judicare deinde candidos permittemus. Saltem id ſubnecto, opinioni forſan iſti anſam dediſſe, quòd de acidularum fonte referatur, ej⁹ vires pluvioſo cœlo admodum immi-

imminui, atque elanguidas poſtmodum deprehendi. Hinc fortaſsè creditum eſt, per tempeſtatem aquoſam, & congelationis reſolutionem pari modo thermas corrumpi. Sed quanta hîc interſit differentia vel ex unico hoc notabili innoteſcit, quòd ſcilicet acidulæ ſub libero cœlo blandè ſcaturiant, adeoque & pluviales & alias affluentes forſan aquas recipiant, ſibique uniant: impetuoſa autem calidarum ſcaturigo ſurſum omnia projiciat, atque hâc ratione nequicquam apud ſe retineat. Verùm ulterius nunc progrediemur fuſiùs paulo diſpecturi, quâ ratione, quâve methodo in uſum thermæ debeant vocari.

Primò nemo Medicorum facilè negaverit, feliciori calidarum operationi multum conducere, ſi ventriculus & inteſtina liberata ab excrementis anteà fuerint. Nam verendum omninò eſt, ne ſaburra forſan eò locorum deliteſcens ab epotis thermis commota vario modo turbas excitet; adeoque vel diſtrahantur aquarum vires, vel imminuantur, aut præpediantur, ut nec penetrare ſatis, quò velint illæ, nec egerere, quod intendant, commodè valeant. Hinc longo receptum uſu eſt, alvum antè movere, quàm

curam auſpicari. Sed ſunt tamen, qui hanc prorſus damnare conſuetudinem pertinaciter ſuſtinent. Neque enim neceſſe, ajunt, eſſe, ut removeantur pharmaco ventriculi aut inteſtinorum retrimenta, cùm thermæ abs ſe citra moram & liquefaciant humores, & è corpore protinus eliminent. Præterea plus inde periculi pertimeſcendum eſſe, ſi catarcticum aliquod præmittatur, ſiquidem illud ex natura ſua venenati quicquam in ſe contineat, adeoque ut corpori inimicum tumultus ſuſcitare valeat.

Quid quod in villis forſan ventriculi aut inteſtinorum parietibus ſpinam quaſi relinquens doloribus pro fluidorum alluentium conſtitutione nunc majoribus, nunc minoribus anſam præbere facillimè poſſit. Verùm facilis ad ſingula reſponſio eſt.

Quòd liquefaciant, egerantque humores thermæ, in confeſſo quidem eſt, ſed neceſſe pro hoc effectu conſequendo, ut majori copiâ aſſumantur. In minori enim, quâ ſolent primo die imbibi, in corpore ſubſiſtent omninò, ubi lubricam non offendent alvum.

Tùm verò anxietates præcordiorum, capitis dolores, ventris tormina, &c. ſæpius ſolent

ſolent exoriri. Et comprobat hoc experientia, imò argumentum à minori ad majus ſuggerit. Si enim primis diebus epotæ calidæ vel planè retinentur, vel vomitiones & moleſtias permultas excitant, ubi corpus anteà ritè fuerit præparatum, quid non fiet, ubi id excrementorum adhuc ſaburrâ ſcatet? De periculo verò ex catharctici aſſumtione metuendo, item de ſpina forſan in inteſtinis relicta quæ memorantur, ad fortiora ſaltem & minùs tuta purgantia pertinent, non ad laxantia, & quæ primas tantùm vias blandè eluant, qualia thermarum uſui præmittenda adhuc opinamur. Quæ autem illa potiſſimùm ſint, ſicco tranſire pede conſultum duco. Nam ſicut inter pretioſiſſima quævis medicamenta thermæ reponi debent: ita nemo valetudinis ſuæ rationem optimè habiturus illis uti ante præſumat, quàm experti Medici conſilio conformem morbo methodum utendi addidicerit. Ille autem non tantùm quæ laxantia præmitti potui, quæque alia ſub illius uſu & poſt hunc inſervire queant, aperiet, ſed de venæ forſan ſectione in aſſuetis perſonis aut certis quibusdam affectibus celebranda commodè admonebit.

Mirari ſanè hîc ſubit, perversâ tàm multos conſuetudine duci, ut ægritudines ſuas depulſuri vel agyrtas, vetulas, tonſores, & neſcio quos impoſtores adeant conſulantque, vel his neglectis omnibus ſibimetipſis conſilia fingant, quaſi naturam ſuam præ Medico calleant optimè. Et ſanè inter temporalia, quibus nos beavit divina bonitas, longè maximum bonum ſanitas. Et hanc concredere imperitis, & ſanandi artem non doctis, aut ex proprio arbitratu, præconceptis ſæpè opinionibus onerato, curam inſtituere, tantundem periculi affert, quantum furibus commendare theſauros ſuos, aut infantis arbitrio pugionem permittere. Non abſimile quid agere videntur, qui illotis quaſi manibus thermarum ſacra intrant, neglectâ omnis præparationis, ordinis & diætæ ratione. Verùm ſicut fortunæ beneficium debent, quod impunè peccare ipſis contingat: ita regulam aliis haud pariunt, quibus conſcientia tenerior, & valetudinis integritas magis cordi eſt. Sed hæc in tranſitu. Ad ipſum nunc potandi actum nos accingimus.

Præparato corpore initium potationis fit *manè jejuno ventriculo.* In more autem poſi-

poſitum eſt, ex parvis cyathis argillaceis, quos ollulas vocant, *calidisſimas*, ceu ex fonte proſiliunt, *aquas ſorbendo* aſſumere. [Refrigeratæ enim aut tepidæ tormina movent, nauſeamque ac vomitus concitant.] Atque hoc dum agitur, *conclavi* plerumque *obambulant potatores*, externo nimirum corporis motu operationem adjuturi.

Numerum ollularum evacuandarum ad certos nonnulli cancellos quaſi revocant. Scilicet cùm duplici modo adhiberi thermæ ſoleant, internâ nimirum aſſumtione, & externo balnei uſu, hinc utrique ſuos fines limitesque ſtatuere decreverunt. Quinque enim aut 7. dies potationi, mox totidem balneo deſtinantur. Atque ſic bis vel ter alternatim proceditur. Neque tamen unaeâdemque quantitate ſingulis diebus bibitur. Ab imo contenditur in ſummum, incipiendo ſcilicet ab 11. circiter vel 13. ollulis donec ad 25. 30. & ultrà, rariùs ad 50. & plures perventum fuerit. Sunt qui figuram typis exhibuerunt, juxta quam potare conveniat. Id quod ad hodiernum propè modum accedere videtur, ubi Principum Magnatumque menſis in forma pyramidali dapes apponi nuper conſueverunt. Sci-

licet primum secundus diem, secundum tertius, tertium quartus ollularum numero superat; quintus verò sextusque ac septimus propè demunt, quod illi addiderunt. Aut si ad 5. saltem dies potationis periodus extenditur, tertius vel quartus maximum numerum habet, quinto decrementum patiente. Verùm si quis rimari hanc consuetudinem penitiori curâ instituat, vanitatem ejus facillimè deprehendet.

I. Enim naturarum diversitas & idiosyncrasiæ meritò sunt attendendæ. Quidam primo secundoque die ab assumtis ex præscripto ollulis parum aut nihil moventur, ac tertio vel quarto demum die lubricitatem alvi, aut sudoris & urinarum liberiùs profluvium persentiscunt. Quis igitur sanâ ratione suaserit, ut copiæ calidarum bibendæ aliquid iterum detrahatur, quarto quintove aut sequentibus diebus, cum observaverit, vix illas die fastigii pyramidalis [de quo paucula modò diximus] operationem suam exeruisse. Ergò verendum est, ne si minor sequentibus diebus ollularum exhauriendarum numerus offeratur, in corpore persistant aquæ varias certè molestias creaturæ. E contrario sunt, qui primo statim die

die vix 11. ollulas ſorbendo evacuârunt, atque inde ſummoperè afficiuntur. Sic memini generoſiſſimum quendam Dominum vix ad modò memoratum XI. ollularum numerum potando aſcendiſſe, cùm vicies inde alvum deponeret, & menſuram urinæ plus minus egereret. Quis verò huic ſuaſor extitiſſet, ut poſtero die & ſequentibus aliis ad figuræ legem reſpiciens doſin augeret? Eidem potiùs quanto acquievit ipſe, & ſingulis diebus eandem operationis ubertatem expertus eſt. Sed contrarii recordor in ſereniſſ. cujusdam Principis ſatellite, robuſtæ obeſitatis homine, qui primis diebus largè ſatis potabat, alvo tamen prorſus occlusâ & ſudoribus modicè prodeuntibus. Cùm verò quarta demum die 45. ollulas exhauſiſſet, commota primùm alvus eſt, quæ ſexies deinde fluxit, quoties ollularum numerum ad 65. extendit, cum ſudore ad admirationem copioſiſſimo. Ex quo gemino exemplo ſtabilimentum ſortitur noſtra aſſertio, non ad figuræ, ſed ad naturæ legem bibendum, ſeduloque attendendum eſſe, quid ipſa requirat.

Ampliſſimus hîc campus ſe aperiret inquirendi in cauſas idioſyncraſiæ; cur hic fa-

cilioris, alter difficilioris alvi ſit, quod etiam in vulgari purgationis actu quotidiè videre eſt; item cur hoc præ alio corpus ſudore diffluat, urinamque citiùs emittat? Sed cum hæc plus ingenii & temporis expoſcant, quàm apud me invenitur, ac præterea nemini thermas uſurpantium illud penitiùs noſſe expediat, lubens meritoque prætereo.

Potius II. hoc noto, non commodè 5. vel 7. diebus potationis periodum circumſcribi. Nam cùm ex dictis appareat, quòd quidam vel quarto, imò quinto demum die dejicere incipiant, quid quæſo, inconvenientiùs, quàm tunc ab illa deſiſtere, balneumque intrare? Cur non eam continuare ad 8. vel 9. imò 10. diem conducat, dum in fluore conſtitutum corpus facilem thermarum aquis tranſitum concedit, adeoque promtiſſimè egeritur, quicquid egeri ab ægroto poteſt optari. Nonnè meritò vereri liceat, ne maturato balnei uſu [qui ordinariè alvum efficit tardiorem & conſtipat] ſufflaminentur modò moti humores, in ſecunda cura poſtliminiò excretionem majori tumultu viriumque imminutione quærentes? id quod fieri facilè advertent, qui intimiori paulò ſtudio attendere ad omnia

non

non gravantur, quæ potatoribus obveniant. Sed hîc mihi videor audire quosdam reclamatores; delicatulis ex ſexu ſequiori, nec non languidis perſonis, & quibus potæ thermæ nimium artus inflant, rigidum nimis fore conſilium potationis in octavum vel nonum protrahendæ diem. Atque his ſtatim regero, illud à prudenti Medico temperatum iri, prout circumſtantiæ requirere videbuntur. Neque enim nobis licet eſſe tàm felicibus, ut ad rationis præſcriptum ſemper agere queamus cum virginibus, aut perſonis fortunæ indulgentioris, vel quas usque ad notabilem ſpeciem natura formavit. His utique ſponte noſtrâ aliquid concedere præſtat, quàm repetitæ admonitionis ſeveritate efficere, ut conſilii noſtri etiam eluſio placeat. Reliquis verò vel languore vel artuum tumore preſſis decentiſſimum erit ſuum adire Medicum, atque ab illo agendorum ordinem porrò præſtolari.

III. Illud pariter adverto, quòd iniquè à quibusdam ſecunda cura minori ollularum numero incipiatur. Cùm enim majori jam doſi aſſueta natura ſit, minori certè non auſcultabit. Itaque meo quidem arbitratu & experientiâ teſte meliùs proficiunt, qui

eâdem

eadem quâ desierunt in prima, secundam ordiuntur absolvuntque bibendi periodum. Nam sicut prioris eventu judicium constat, quid perferant vires, & quantum aquæ ad ciendam ritè operationem sufficiat: ita inutile prorsus fuerit, meticuloso quasi pede ad minorem portionem regredi, posterisque demum diebus ad summum denuò eniti.

Sed hîc non immeritò quæritur, an desistendum à potatione sit, si primo vel secundo die per vomitum rejiciantur aquæ? Respond. minimè. Melius enim in sequenti cura se ægri plerumque habent. E contrario quæritur, quid fieri expediat, si exitum epotæ satis largiter aquæ inveniant nullum? procul dubio, si vulgi consilium sequi quis velit, confugiendum erit ad sal à thermis nominatum, quod in pharmacopolio venale prostat. Hoc enim in illa calida dissolutum si bibatur, dejectiunculas plerumque solet promovere. Verùm sicut causa non una forsan occurrit, cur in corpore subsistant aquæ: ita dictum illud sal adæquatum non observatur remedium pro illarum à quacunque causa retentarum expulsione. Sæpenumerò enim [ut alias nunc causas silentio involvam] fibræ intestinorum

norum motrices ſpasmodicè afficiuntur, ſicut in hyſtericis, hypochondriacis, & calculo obnoxiis non ſemel factum memini. Tùm verò tantum abeſt, ut à ſale iſthoc excretio procuretur, ut potiùs clauſa pertinaciùs inde alvus videatur. Hinc experti Medici ſententia audienda eſt, qui præmiſſâ cauſæ inveſtigatione, cur exitum aquæ non inveniant, aptum facilè medicamentum pro illius ablatione reperiet præſcribetque.

Primo quidem aut ſecundo die, utpote in minori quantitate hauſtæ, ſi reſiſtent aquæ in corpore, nihil periculi inferunt; tertio tamen die, niſi ſponte ſuâ exeant, convenienti remedio propellendæ.

De cætero uſitatum eſt univerſæ demum curationi, exhibitô quôdam purgante colophonem imponere. Quod purgandi conſilium tantò quidem minus improbandum, quanto magis neceſſarium videtur. Saltem de tempore, quo propinari debeat catarcticum, aliquod dubium ſuboritur. Cùm enim reliquiis aquarum exterminandis deſtinetur, cur non ſtatim finitâ curâ potationis poſtremâ, antequam balnei uſus accedat, illud exhibere conveniat? enim verò vel nocere queunt relictæ diutiùs in

cor-

corpore aquæ, vel non nocere. Si prius, cur velimus tantam ipsis moram concedere, donec 5. vel 7. aut plures dies pro balneo interveniant? si posterius, cur prorsus haud abstinemus à purgante? Verùm sicut experientiæ fide constat, quòd qui neglecto purgandi consilio abeunt, ut plurimùm morbidi sint, vel post 10. aut plures dies diarrhæâ corripiantur: ità facilè elucescit, quod qui valetudinis suæ commodo invigilare studeat, catarctici usum refugere haud debeat. Et meo quidem suasu post singulos potationis ambitus tale quid assumi expediet, imprimis si illi longiùs, in nonum scilicet diem producantur. Optimè enim liberatis sic primis viis ab omni aquarum residuo tutissimè ad balneum transgressus fit, quo quicquid illarum in corporis habitu hæret blandâ celeritate extrahatur. Sed hîc paucissimis juvabit meminisse curæ ab absentibus quibusdam Medicis figuratæ, & ituris ad Carolinas traditæ. Scilicet catharctico satis valido auspicari, eodemque tali finire illam præcipiunt. Quinque etiam vel septem dies definiunt pro sorbitionum, totidemque pro balneorum curis. Singulis diebus, elapsâ post potationem horâ unâ, me-

medicamentum ſtomachicum, v. g. El. propr. Par. vel El. ⊕li Mynſ. aut ſimile jubent aſſumere. Roborationi enim ventriculi hoc deberi putant ab aquis nimiùm extenſi. Deinde balneo uſuros circa hepatis renumque regionem inungi curant quibusdam unguentis v. g. infrigid. Galeni, ſantalino, roſarum, de alabaſtro &c. ne ſcilicet hepar forſan calidiùs obtinentes, aut nimio renum calore preſſi damnum, vel æſtum, imò inflammationem contrahant, ſi liberè calidam alluere, & ſe inſinuare permittant. Internè etiam Roſar. papav. rh. bellidis, roſarum, ſimilesque ſpiritus exhibent, ut ſcilicet æſtuanti ex balneo ſanguini maturè proſpiciatur. Verùm quàm inutili labore tale conſilium conſiſtat, penitiùs intuenti facilè patebit. [1.] enim non valido purgante, ſed laxante tantummodò curam ordiri expedit ceu paulò antè conſtitit. Sed alio longè medicamento opus eſt cum colophonem curæ volumus imponere. Tùm enim purgationibus crebrioribus aſſueta quaſi natura minori catarctici doſi non ſolet auſcultare. Itaque fortiori paulò ſtimulo agendum, ut quicquid viſcidarum fortè ſordium aquarum copioſo

præ-

præterfluxu emollitum eſt, majori quaſi conatu evellatur. Atque huc multum conferre è mineralium proſapia petita medicamina cum aliis commixta, plus ſimplici vice experientia comprobavit. [2.] Quòd neque 5. neque 7. dies poſſint ante definiri pro ſorbitionis cura, quàm quis potando vel citiorem vel tardiorem aquarum tranſitum perceperit, paulò poſt dicetur fuſiùs. [3.] Medicamenta ſtomachica poſt potationis actum fruſtraneo ſtudio porriguntur, aquis tunc è ventriculo nondum omnibus elapſis. Cogitet enim quis ſecum paulò accuratiùs, an robur quoddam ventriculo poſſit afflari, aut tonus ipſius ad firmitudinem reduci, cùm medicinæ particulæ copioſo aquoſarum interventu divelluntur, adeoque vires quoque niſi pereant planè, tamen plurimùm vel immutantur vel diminuuntur. Adhæc extenſio ventriculi tanta non fit, ut tono ipſius vis inde inferatur. Quid quòd & ipſa thermalis aqua egregiâ virtute polleat, robur potiùs eidem conciliandi, atque debilitatem auferendi. Sic novimus proſtantque exempla non pauca illorum, qui ſtomachi imbecillitate diu conflictantes ſalutari thermarum potu ad ſententiam

con-

convaluēre. Ut adeò plus auxilii ſperandum ſit ab his aquis ventriculi parietes ubique alluentibus, quàm à pauculis medicamenti guttis vix unum alterumve ejus loculum attingentibus. [4.] Ante balnei ingreſſum dum renum hepatisque regio inungi jubetur, mirari ſubit, cur non univerſum corpus unguentis infici præcipiatur? eô enim conſiliô nititur inunctionis labor omnis, ut ſcilicet præcaveatur, ne calidarum vis partibus æſtum nimium aut inflammationem inducat. At verò partes omnes carnoſæ aptæ ſunt natæ, ut inflammationem valeant concipere, adeoq; meritò inungendæ pariter eſſent. Verùm ſi errorem hunc revocare ad originem ſuam liceat, de facili apparet, duplici modo illum eſſe progenitum: Sc. (1.) ex decantata olim, nunc verò explorata, inæquali ſtomachi frigida, hepatisque calida intemperie. Sic enim antiqui, dum thermarū ope ventriculo intenderunt prodeſſe; veriti ne calor hepatis augeretur, hoc refrigerante quâdam pinguedine, quaſi loricâ, voluerunt induere ac præmunire. Atque hos adhuc hodie ſequuntur, qui expertes naturæ thermalis ex ſcriptis veterum Thermologicis ſaltem ſapiunt, rationem

consilii sui quód ægrotis suggerunt, susque dequè habentes. [2.] Etiam ex eo quidam videntur hallucinari, quòd Töplizenses thermas cum Carolinis confundant. Cùm enim in libello Töplicensium descriptionem continente viderint suaderi, ut ante balnei ingressum hepatis renumque regio inungatur, idem in Carolinarum usu necessarium esse duxerunt. Verùm qui utrisque oculis usurpavit, procul dubio differentiam intercedere advertet. Nam Töplicensibus aquis, sicut æstuantes scaturiunt, insidetur, adeoque universum illæ corpus insigniter excalfaciunt, ut inde sitis intensa, oris ariditas & languor plerumque sequatur. Carolinæ è contrario ad balneum inservituræ per 12. horas refrigerationi exponuntur, ut ferè teporem, aut blandissimum modò caloris gradum retineant. Ut igitur ab illis per actualem fervorem dicta symptomata produci novimus: ita similia ab his excitari non facilè observatur, nisi ordinarium balnei calorem quis auxerit, admittendo nimirum majori copiâ allabentem ex fervida scaturigine aquam. Quantâ igitur vanitate laboret operosa nonnullorum sedulitas, quâ ejusmodi thermis utendi methodum ægro-

tis

tis suis prolixâ instructione præscribunt, cuivis liberè & citra præconceptam opinionem judicandum relinquimus. Nos mittendo similes ineptias nunc alia de balneo subnectemus.

Invaluit mos apud plerosque, ut totidem dies balneo se committant, quot biberunt. Sed illius consuetudinis me approbatorem dare non sustineo. Neque enim omnibus morbis una eademque curandi methodus inservit. Quidam ita sunt comparati, ut potationem cum emolumento admittant, balneum pessimè ferant. Sic hæmoptycum novi, qui satis bellè à potu thermarum habebat, per balnei verò usum languebat adeò, ut vix quadrantem horæ in illo perdurare posset. Quidam verò potationem breviorem, balneum frequentius videntur requirere, quale quid in iis, qui partium contracturis torquentur, quotidiè observatur. Quod itaque jam sæpiùs monui fideliter, ut ad Medici jussum peragantur omnia, id pariter & hoc loco repetere necesse est. Ille enim consultus non tantùm definiet, utrum plures pro potatione, an pro balneo, & quot dies impendendi? Sed utrum matutinis horis solùm, an verò pomeridianis quoque

balneum ingredi, & quamdiu in illo commorari conveniat, pro morbi & circumstantiarum ratione ſtatuet. Neque enim indiſcriminatim valere poteſt figura illa pyramidalis, de qua ſuprà retuli, & quam depictam alicubi reperire eſt tali ſchemate:

II.

I$\frac{1}{2}$. I$\frac{1}{2}$.

I. I.

ita ſcilicet, ut primo die, manè & à meridie ſingulis vicibus hora una in balneo conſumatur, ſecundo una & dimidiata, tertiò duæ, quartò una cum dimidio, & quinto demum una. Nam affectuum curandorum conditio figuræ ſæpius impatiens eſt, & ſe juvandi normam in plana potiùs linea reperit, quàm in pyramide, i.e. plus auxilii interdum quis percipit, ſi pari morâ ſingulis diebus balneum adhibeat, quàm ſi in dies variando minùs diu nunc, nunc magis, atque iterum minùs, in illo permaneat.

Quæ de cætero de urceis balnearibus, de ollulis veſperâ ante primam potationem frigidâ replendis, & per noctem ita relinquendis, de modo excipiendi aquas è fonte cum urceis, hosque ſtudiosè obturandis, it. de

bal-

balneariorum mundificatione, calidarum immiſſione harumque ſufficienti non nimiâ refrigeratione &c. &c. memorare aliàs conſueverunt, afferre hûc & pertrahere lubens ſuperſedeo. Quemlibet enim adventorum vel hoſpes ejus, vel domeſtici, de his atque ſimilibus rogati ſatis poterunt inſtruere.

De balneo tantùm quatuor adhuc monenda arbitror (1.) quòd calor ejus nimius cane pejus & angue fugiendus ſit. In mentem venit exemplum fœminæ cujusdam 50. annos natæ, quæ moleſto perpetuoque frigore cruris dextri & brachii ſiniſtri diu multumque vexata, tandem ad Carolinarum ſacram anchoram confugere inſtituit. Aggreditur rem ex conſilio Medici ordinarii percelebris, & potationis curâ ad votum abſolutâ ad balnei uſum properat. Quamvis verò fideliſſimè admonita fuerit, ut à calore nimio ſibi caveret, parùm tamen vel planè non obtemperavit. Advertens enim ingreſſa balneum, hujus moderatiſſimum eſſe calorem, & ad frigoris confinium inclinare, ſtatim tubulo, per quem aqua infertur, obturamentum extrahit.

Hinc ſe demittit in aquam ad collum us-

que, & jugi calidæ affluxu plus ſatis tandem incaleſcit. Horam tamen ſibi pro prima vice præſcriptam in balneo perdurat; hinc egrediens ſitim & languorem percipit. Poſtero mane ſomno paululùm refecta pridianæ methodo inſiſtit. Sed vix horæ quadrantem conſumpſit, cùm pulſare cor frequentiùs, oculis tenebræ offundi, membrisque omnibus vires deficere incipiunt. Hinc delata in lectum tàm gravibus hypothymiis corripitur, ut animam vix in unicam horam propagare poſſe adſtantibus videretur. Sequenti die advocatus Medicus ardente febre prehenſam pronunciat. Hinc conducto mox currui impoſita domum deducitur, ubi per 4. ſeptimanas graviſſimè decubuit, delirium, hæmorrhagiam narium, diarrhæam paſſa, donec à critica puſtularum rubrarum eruptione tandem lentâ emendatione valetudinem recuperavit. Hæc itaque veſtigia quemlibet poterunt terrere, atque ut præſcribenti Doctori morem gerat, meritò impellere. [2.] Cùm de balneo notum ſit, quòd obſtructiones in aliquibus ſoleat parere, de tollenda aut præcavenda iſthac alvi difficultate haud immeritò quæritur. Nolo autem hîc tædioſô memoratu

fuſiùs

fusiùs referre,quæ in remedii vicem ab aliis suggeruntur, e. g. quando sorbitiones ex thermarum aqua paratas, aut pruna cocta in pastus principio comedenda, vel passulas Corinthiacas ex acidularum infusione emollitas &c. commendant. Saltem hoc asseverare sustineo, quòd inter quamplurima pro apertione alvi conservanda medicamenta usurpata, non aliud magis intentioni fecerit satis, quàm haustus largior acidularum ante balnei ingressum sensim assumtus. Sint autem acidulæ Egranæ, si haberi queant: Sin minus, succenturiatæ faginæ ex vicinia celebres. Fidem asserto nostro conciliabit experientia, quâ constat, blandius quicquam ad alvum apertam in officio retinendam non temerè reperiri, forsan quòd acidulæ cum thermis ejusdem sint prosapiæ, nimirum mineralis. [3.] Illud quoque de balneo annotationem videtur mereri, quòd non tutò satis eô die adhibeatur, quô potatum est. Cùm enim duplici hoc modo corpus uno eodemque die fatigatum viribus notabiliter deficere observemus, cur nisu omni & studio languorem procurare velimus? Sunt quidem, qui apprimè sibi placent, hanc thermis utendi me-

thodum vel elegisse vel suasisse. Ita enim temporis compendium se putant invenisse, curâ omni 14. dierum spatio absolvendâ. Præterea valetudini se hâc ratione optimè, ajunt, prospicere, dum quicquid à matutina potatione defluxerit in corporis habitum, blandè statim sic eliciatur. Ut taceam, quòd longè meliùs hâc utriusque curæ conjunctione se valere asserant, quàm si alternatim vel biberent, vel balneo uterentur. Verùm ut ab ultimo ad primum relabar punctum: dulci profectò persuasione, & fictâ apud animum utilitate nititur hæc melioris status fiducia. Vidi permultos, inde valdiùs debilitatos, atque inter eos maximè sacerdotem, cui tantâ quotidie virium jacturâ constabat hæc methodus, ut in ministerium sustinendi corporis vix pedes sufficerent. Nihilominùs non audebat mutare consilium, aviditate faucium, siti, sudore & languore egregiè pressus. Alterum punctum veritatis umbrâ videtur laborare. Neque enim quicquid aquarum in artus se insinuavit, tantùm balneo redditur, sed & plus simul effundi indicat subsequens languor cum siti & salivæ spinosa visciditate. Ecquis verò minori lucro inhians illud firmiter tenere gestiat,

si non

si non assequi, nisi majoris dispendio queat? id quod tandem tertio loco de temporis compendio quoque intelligendum. Quamvis enim citiùs ad finem sic perducatur cura; quia tamen in sanitatis emolumentum ita non cedit, nemo facilè tàm sibi malè cupiet, quin seponere diutiùs paulò, seu per aliquot dies, sua malit negotia, quàm tempori quidem parcere, sed valetudini nocere. (4.) Dum de balneo quæritur, num illo citra præviam potationem uti liceat? limitatâ videtur affirmatione respondendum. Nimirum (1.) non nisi perpurgato anteà corpore, (2.) nec nimis profundè ultra umbilicum balneum ingredi, nec (3.) ultra horam in eo commorari decet. Rationem rogatus Medicus de facili reddet. Illi autem, qui pedum infirmitati per balneum student consulere, hos solos tantùm, non corpus universum quotidiè immergant. Quid enim opus fuerit, hoc per trium vel quatuor septimanarum curam singulis diebus balneo committere, & nocivâ diligentiâ languorem, sitim, aliaque symptomata sibi accersere? Quæ de reliquo hîc dici de stillicidiò thermarum membro cuidam morboso applicando, dici poterant, studio premo, cum

 cir-

circumſpectione illud indigeat; hinc nemini auctor ſum, ut proprio ductu hanc ſibi medelam adhibere præſumat, ſed Medici potiùs diſpoſitioni ut in aliis, ita quoque hîc pareat. Nunc verò de Diæta paululùm circumſpicere ex re erit. Neque enim ſufficit ritè defungi curâ cum in potatione, tùm in balneo, niſi cætera quoque conſonent, atque, ut debent, adminiſtrentur. Solet quidem ſed falsò, cibi potusque ordinatio diætæ nomine communiter efferri. Verùm cum plura eò petineant omninò, circa ſumma illorum capita tantummodò quædam attingemus, reliqua Medici prudentiæ permiſſuri.

1.) Malè agunt, qui inter potandum libero ſe exponunt aëri, aut pectore pedibusque nudi incedunt, vel veſperi exſpatiantes, vel usque in noctem in prato hærent. Nec benè tamen faciunt, qui aëre licet æſtuante, in conclavi calefacto potationem inſtituunt. Sicuti enim illud ſudore profluente, aut nocturnâ refrigeratione uri quàm maximè obeſt: ita hoc nimiæ ſudationi & languoribus poteſt anſam præbere. Clauſis itaque feneſtris & benè munito corpore præſtat bibere, nec conclavi quidem calefacto, niſi frigidior forſan tempeſtas hoc ſuaſerit.

2.) Quòd

2.) Quòd ad cibum potumque attinet, in genere notandum, quòd eo præprimis ſpectet, cùm ſtatutum tempus, tùm electio & temperantia. Temporis ſcilicet talis ratio ineatur, ut tres vel ad minimum duæ cum dimidiata horæ inter potationẽ conſummatam & prandium intercedant. Diebus autem balnei maturandum eſt prandium, qvod parcius ſit, cœna [liberalior] protrahenda, ut 8. horas à ſe invicem diſtent, quinta verò à prandio balneum repeti queat, ſi nimirum bis in die id uſurpari conſultum fuerit. Cibi ſunt tales eligendi, qui ventriculi digeſtioni facilè parent & ſalubritatis notâ commendantur, quales animalium carnes, hædina, vitulina, ovina, bubula junior probè cocta, gallinarum, gallorum Indicorum, caponum, ferinæ & avium varii generis, phaſianorum, perdicum, gallinarum corylorum &c. ex piſcibus lucii, truttæ, funduli, percæ, choraces, mulli ſ. barbones &c. & quæ ad pulmentaria ſunt referenda, torrefacta pruna, ceraſa, poma Borsdorffiana &c. Vitare autem omninò convenit, quæ vel ſtomacho negotium faceſſunt, vel facilè corrumpuntur, quales ſunt carnes fumo induratæ, muriâ vel aceto conditæ, ſuil-

la,

la, urogallorum, palumborum, anatum &c. ex piſcibus cyprini, alburni, rubelli; ex pulmentis flatulenta, butyro frixa, lacticinia & fructus horæi. Recenſitis & ſimilibus pro ſuo coqui ingenio diverſa ſolent condimenta addere, ut inde magnam exſurgere videamus in magnatum menſis eduliorum varietatem. Hæc verò ut jucundiſſimo ſapore palato ſæpiùs arridet: ita valetudini non itidem illam prodeſſe cùm ratio, tùm experientia perſuadet. Quid enim, quæſo, terræ tubera & fungi poroſi laudabilis præbebunt nutrimenti? & inter ſummas tamen gulæ delicias numerantur, ut vix artocreas ſapidiùs judicetur, quàm cum talibus confectum. Ita cum aceto, cum ſucco citri, vel limonum, cum ſardinis, cæpis, allio, capparibus & ſimilibus, cùm dulcia, tùm piguia, nec non aromata varia affectato artificio permiſcentur, ut peregrinus aut incognitus anteà ſapor palatum ſuaviùs afficiat. Non verò itidem hæc talia indifferenter omnibus conducunt. Cùm enim motionibus fermentativis, flatulentisque hypochondriorum diſtenſionibus anſam valeant præbere, non pauci exinde multò peſſimè habent. At verò nullo modo aſſumtæ ciborum

rum & condimentorum varietati, ſed inſonti potiùs thermarum potui imputare, & huic omninò, non illis dicam ſcribere malunt. Meas igitur ſententiâ prudentiſſimum illorum inſtitutum eſt, qui victu ſimpliciore contenti multas ciborum mixturas averſantur, valetudini magis, quàm palato conſulturi. Et ſicut ſapientiæ fundamenta Xenophanes olim pronunciavit continentiam & temperantiam: ita has ad ſanitatis thermarum ope reſtituendæ negotium jure meritò pertrahere & applicare licebit. Scilicet qui ad regulam vivunt Medici, & temperantiæ in ciborum aſſumtione ſtudent, columnas quaſi parant, quibus ſuperſtrui & ſuſtineri valetudinis ſuæ ædificium poſſit. Sed ab hac deſtinatione longiſſimè jacent, qui thermali curæ impliciti ingluviem ſectantur, & ciborum non modò, ſed vini quoque intemperantiſſimi quotidianæ temulentiæ operam navant. Hi cum ſera aliquando pœnitentia didicerint, non eadem ſanitati, quæ voluptati eſſe jucunda & utilia, non admirabuntur, ſi fractis ante ſenectam viribus, ſe ipſos ſalutis ſuæ prodigos fateri cogentur. Sed quid juvat odioſæ rei immorari diutiùs? de potu potiùs eligendo quædam adde-

re

re præſtabit. Sit verò cereviſia optimè defecata, non turbida, aut recens à coctura, nec ab acore corrupta. Talem enim varia procreare incommoda plus ſimplici experientiâ comprobatum eſt. Hinc cujusvis potatoris curæ eſto, innocuo ſibi potu, undecunque liceat proſpicere. Neque tamen eò referendum videtur cereviſiæ genus, quod **Weißbier** vocant. Cùm enim fecum non expers, ad claritudinem tantùm non rarò perveniat, ac præterea ex tritici adjectione paretur, viſcoſitatem in gula & palato relinquat, ventriculi ſæpe inflationem in non aſuetis excitet, ac ſitim parcè admodum reſtinguat, niſi augeat, non ſanè video cur ejus uſum balnei curæ addictis commendare ſuſtineamus.

Vinum denique pro ordinario potu concedere, niſi qui ipſi jam diu aſſueverunt, inconſultum erit. Sed hauſtum unum vel alterum in quovis paſtu non oberit iis aſſumere, qui alioquin id ſibi conducere nôrunt. Sub balnei tamen uſu parcius, quàm potationum diebus licebit adhibere.

3.) Diætæ portionem conſtituit juſta ſomni vigiliarumque uſurpatio. Ex quo capite huc pertinere videtur, quòd ultra 7. vel 8. ho-

8. horas longè protrahere ſomnum nihil neceſſe ſit. Itaque ſi inter nonam & decimam veſpertinam lectus petatur, ante vel circa ſextam poſtero mane auſpicari curam denuò licebit. Qui verò ſomnum planè nullum capere queunt, hos meritò ad Doctoris ſui conſilium remitto. Nam cauſa ejus rei ut variare, ita varium quoque remedium ad ſui ablationem requirere poteſt. Saltem de illis paucula adjicere placet, quos à meridiè inexorabilis dormiendi neceſſitas urget. Hi etiamſi conatu omni ſomnum amoliri contendant, vel ambulatiunculis, vel luſu propenſionem hanc eluſuri; tamen illo vel ambulantes, vel ſedentes quaſi prehenduntur. Hinc ſæpè quæritur, utrum expediat, quieti huic indulgere, an verò modo quovis reſiſtere? Si antiquorum hîc velimus dogmata audire, permultas à tali ſomno ægritudines provenire comperiemur, catharrhos, capitis gravitatem, ſplenis obſtructiones, pigritiam membrorum omnium, imò febres è longinquo quaſi ſubnaſcentes. Atque ſi propriùs interrogare illos inſtituamus, qui thermarum potatores eorumque accidentia obſervârunt, nocere utique ſomnum à prandio conſtabit. Nam non tan-

tùm

tùm referent capitis artuumque laſſitudinem inde progigni, ſed operationem quoque matutinæ potationis tardiùs aliquando ſe exerentem ſufflaminari, unde diverſorum malorum cauſa procudatur. Verùm, cùm recentiorum doctrinâ innotuerit, ſomni tempore non tantùm digeſtiones alimentorum promoveri, ſpiritusque refici, ac novâ quaſi elaſticitate [ut loquuntur] indui, non facilè apparet, cur moroſos nimium nos velimus exhibere, & ſub vitæ quaſi periculo absque diſcrimine ſomnum omnem interdicere. Id equidem lubens largior, præſtare, ſi quis vigilare integrum diem valeat; ſi verò tantâ vi ingruat ſomnolentia, ut nequeat evitari, tùm (1.) non ultra ſemihoram vel 3. quadrantes horæ, (2.) erecto corpore in ſella potiùs, quàm in lecto, non compreſſo ventriculo per incurvationem & decubitum faciei in menſam ſomnus capiatur. (3.) Motio deinde temperata inſtituatur. Hâc enim ratione nec operatio tàm facilè retardabitur, nec capitis adeò metuenda gravitas. Quod ſi autem ad dúas tresve horas, & quidem inclinato in menſam capite quis dormiverit, atque dein ſedendo tempus omne in ſeram

usque

usque vesperam consumpserit, tum & operationi quasi obex ponitur, & memorata superiùs incommoda plerumque oboriuntur, ceu rei huic attentum quemlibet docere experientia potest.

4tò.) Locô ad diætam quoque spectat motus & quietis observatio, cujus cùm modò mentio facta sit, leviori saltem pede nunc tangenda est. Scilicet in ipso potationis actu lenem obambulationem, & illo absoluto motionem corporis moderatam conducere, superiùs jam dictum est. Nec alium in finem hæc præcipitur, quàm ut felicior sic aquarum expeditio adjuvetur. Hôc verò scopô excidunt, qui continuâ ad lusum sessione à prandio in cœnam usque occupati sunt. Et eos non semel conquerentes audivi, atque servile societati hâc in re placendi studium detestantes. Contrario autem modo peccant, qui motu nimio corpus exercent, & saltatione vix ac ne vix quidem interruptâ, tres vel quatuor horas delectantur, dicam an fatigantur. Quo fit, ut liberaliùs sudorem pori emittant, sed noctis refrigeratione post saltationem plerumque in prato peractam subitò claudantur, indusio prorsus madido horripilationem excitante.

Quemadmodum igitur moderatus non nimius corporis motus rectè thermis uſuros decet. Ita

5.) Diætæ membrum, animi ſcilicet temperamentum, æquali ſemper lance debet conſervari. Exulet itaque ira, affectus maximè implacidus & turbulentus: exulet terror [modò in poteſtate noſtra ſit] adeò ſub hac cura pernitioſus, ut exempli meminerim in Sereniſſima Virgine Ducali per improviſi incendii famam tantoperè terrefacta, ut in ſyncopen inciderit vix horæ ſpatio finitam. Exulet quoque triſtitia nonnunquam cum inquietudine & perturbatione, interdum cum jugi corporis quiete conjuncta. Maximè tamen Veneris vitanda ſunt litamina, quòd ſub thermarum cura verſantes virium inde conſumtionem magis quàm alio tempore perſentiſcant. Sic novi exemplum Viri cujusdam 36. annos nati, qui ſimile peccatum vertigine, titubatione, lateris ſiniſtri gravitate ſummâ, imò imminentis apoplexiæ metu luebat, quodque vix ac ne vix quidem generoſiorum medicaminum uſu expiare poterat, curâ thermali ad illum annum penitùs reſciſsâ. Ut adeò ſit

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Tandem quæ 6.) loco circa excernendorum & retinendorum caput hîc afferri deberent, tacta jam ſparſim in ſuperioribus ſunt, ut repetere illa ſupervacaneum videatur. Quæ enim ad alvum in officio retinendam pertineant *pag. 51. 75.* indigitata; quæ ſanguinem, ſudores, urinam, menſes &c. p. n. fluentes ſpectant, meritò penitiori Medici inquiſitioni & auxilio relinquimus.

Nunc verò quid & quô potiſſimum modo agant aſſumtæ in corpus thermarum aquæ, brevi conſideratione expendi meretur. Eſt ſanè loquax illarum virtus, nec oſtendit ſe ſaltem, ſed ingerit. Nota hinc in vulgus eſt & celebrata illarum vis, quâ non tantùm ſolent alvum ducere, ſed & lotium propellere, ac ſudoris ſæpiùs copioſi profluvium in quibusdam quoque ſubjectis ſalivationem excitare. Et hæc omnia ſimul intra trium circiter horarum ſpatium tàm blandâ benignitate peraguntur, ut ceſſante operatione plerique potatorum vel exſpatiari, vel quicquid aliàs velint pro lubitu efficere valeant. Ecquis verò celebratiſſimo unquam remedio tale quid præſtitit? quis non

novit, quam deteri vires ſoleant ab unico ſaltem catarctico inſolentiùs paululùm ſe exhibente? quis non ſentiat, à ſudore paulò copioſiore languorem induci? Hîc verò dum eôdem quaſi momento utrâque viâ, imò per urinam quoque plurimum egeritur; dum aliquot dies ita ſemper continuatur, notabile adeò virium detrimentum planè non percipitur. Quædam tamen pro ſubjectorum conditione differentia in operatione deprehenditur, cùm alii citiùs, tardiùs alii moveantur: quibusdam alvus liberiùs fluat, ſudor & urina minùs: quibusdam verò hæc & ille copioſiùs exeat, alvô interim parciùs ſe exonerante. Ita ſcilicet hæc forſan eveniunt, prout nimirum unius præ altero natura magis ſenſilis ac prompta, humoresque ad motum procliviores exiſtunt. Quamvis verò determinatu perdifficile, niſi impoſſibile ſit, univerſæ operationis ſcenam aperire, & preſſiùs dicere, quâ ratione effectus modò recenſiti ab aquis epotis producantur, liceat tamen pro ingenii tenuitate tentare ac paucula tantùm afferre, ut habeant alii, in quo cogitationum aciem defigant, & intricatum negotium ſubtiliori ſcrutinio perveſtigent.

Quod

Quod Hippocratis effato venditatur, totum omninò corpus esse perspirabile, id ad rem præsentem quadrare quàm optimè videtur. Quamprimùm enim sorbillando demittuntur calidæ, partim in transitu per gulam, partim in ventriculo subtilissimam vim suam instar fumantis auræ quaquaversum diffundunt. Hæc verò mollissimo quamvis appulsu, totum genus nervosum, ejusque minimas fibrillas, cujuscunque partis corporeæ texturam interpositu parvarum glandularum efficientes attingit. Hinc paulatim illæ in levissimas contractiunculas adactæ per vascula glandularum excretoria lympham ejicere annituntur. Intenditur verò & promovetur hic motus, postquam continuatâ potatione non tantùm ventriculus & intestina aquis replentur, sed hæ per pressionis quendam modum in anfractuosos lactearum poros, & porrò per vias chyli consuetas in ipsum cor impelluntur. Tùm enim sanguini consociatæ illum quasi fundunt, minutiùs nimirum discerpendo atque in teneriores moleculas divellendo; hinc cum ipso arteriarum ope tum ad extrema, tùm ad intima corporis perveniunt. Sic glandulas cutaneas successivâ copiâ allu-

unt, & irritationem earundem ac motum, excretorium compreſſione promovendo, partes primò tumidiores, mox ſudore madidiſſimas reddunt. Interiùs verò inde turgeſcentibus non modò glanduloſo pancreatis racemo, ſed & inteſtinorum gyro, in hujus canalis cavum ingens lymphæ vis exſtillat, quæ intermiſto bilis ſale volatili oleoſo, quicquid vel ſordium vel muci offendit, ſub excrementorum facie, per guttur inferius ſecum ſimul educit. Sic renes pariter lotium egerunt abundantiùs, non tantùm quia magna thermalis aquæ potio hauſta ex inteſtinis ſtatim per vias adhuc dum ignoratas ad illos transfertur; ſed quoniam copioſior quoque ſeri pars ad ipſos deponitur, maſsâ ſcilicet ſanguinis ad aliqualem quaſi fuſionis ſeu colliquationis gradum deductâ & celeriùs in circulum actâ. Hæc verò omnia tamdiu ſolent durare, quamdiu aquas quaquaverſum intimis corporis partibus impulſas à tergo ſemper novæ ſequuntur. Ceſſante autem potationis actu haud mora ad ſubſidentiam ſanguis redigitur, glandulæ omnes detumeſcunt, & excretiones ſingulæ paulatim emanent. Extraordinariè autem in quibusdam perſonis aliqua operationis vis

vis ad ſeram usque veſperam, imò ad noctem ipſam poſtliminiò reſurgit, cujus rei cauſam ex individuorum conditione petendam impoſſibile foret hîc enucleare. Saltem dicta in compendium trahendo aſſerere licet, modo duplici thermas agere, partim ſcilicet in genus nervoſum animali fluido perfuſum, elaſtico quaſi ſtimulo illud afficiendo: partim in ſanguinem ſ. fluidum vitale, hoc nimirum quaſi fundendo, ſive ad majorem molecularum ſuarum diſcontinuationem, ut vocant, adigendo. Illud evidenti effectu demonſtrat plerorumq; potorum ſub exordio potationis ſtatim facta in extremis partibus perceptio quædam quam formicationis alii; alii blandæ punctiunculæ quodam ſenſu efferunt: hoc humidâ quâdam inflatione comprobatur, quâ turgidulus univerſi corporis habitus deprehenditur. Ita ſcilicet à poſteriori & ab effectu thermalis aquæ natura nobis paululùm innoteſcit. Quâ verò ratione à priori conſiderata hoc vel illud efficiat, ignorabilius obſcuriusque nobis eſt, principia conſtitutiva, ut vocant, earum & modum mixtionis omninò neſcientibus. Interim ex dictis collectu facile eſt, quod præter tres iſtas car-

dinales virtutes, alvum nimirum, ſudores & urinam provocandi, non tantùm quaquaverſum penetrandi minimorum canalium & tubulorum obſtructiones reſerandi dyſcraſiam vitalis fluidi, & per conſequens quoque animalis emendandi; ſed & uſu externo diſcutiendi, abſtergendi, mundificandi, conſolidandi, & roborandi vim præcellentem thermæ obtineant. Catalogum ita prolixum condere valerem iſtorum affectuum, quibus curandis inſervire thermarum uſus cum emolumento queat. Sed cohibeo ſtylum, ac malo, laudatrix thermarum eloquentiſſima experientia ſit. Hinc aliquot ad calcem ſcriptiunculæ hujus annexæ ſunt hiſtoriæ, quibus illarum ſalubritas ob oculos ponitur haud tantùm, ſed & penſitandi ſimul occaſio ſuggeritur, num illæ ægritudinibus longè pluribus, quas inter & recenſitas quædam intercedit affinitas, adhiberi percommodè poſſint. Antè verò quàm has producam, per paucula tantùm de balnei operatione adhuc ſubjicere placet.

Scilicet in quæſtionem venit, utrum ſub iſtius uſu per cutis ſpiracula introëant aquæ, corporisque fluidis connubant? an verò citra profundiorem ingreſſum tantummodò

emul-

emulgendo quaſi, & exprimendo glandulas in & ſub cute contentas quicquam è corpore eliminent? Sicut verò tàm hujus, quàm iſtius quæſiti affirmantes rationes nonnulli afferunt: ita meritò quemvis ſuo hìc abundare judicio permittimus, rati, Ciceronis effato, multa eſſe, quæ nos fallant, probabilitate magnâ. Hæc tamen expendenda pro cujusvis placito tradimus: (1.) quòd tumida ab epotis per aliquot dies thermalibus aquis membra ſtatim flacceſcant, quamprimùm vel ſemel aut iterum balneo fuerint immiſſa. (2.) Quòd ſcabie laborantes præparatione debitâ præmiſſâ per repetitum balnei inſeſſum optimè curentur. (3.) Quod languore majori it. ſiti & faucium ariditate ſoleant prehendi, qui balneum uſurpant, quàm qui ſorbitionis curâ defunguntur, imprimis ſi vel profundiore ad collum usque immerſione ſe demittant, vel caloris moderamen negligant. Ex quibus omnibus forſan haud abſurdâ penitùs collectione fluet, per balneũ potenter foràs proiici, quicquid in aut ſub cute proximè contineatur. Hinc à lympha, nutrimenti vehiculô, copioſiùs ſic educta, & ſpiritibus ſimul diſperſis nonnihil ac deperditis, me-

morati languoris & reliquorum ſymptomatum origo forſitan petenda fuerit. Sed aliam balnei, ejusque operationis ætiologiam pro lubitu excogitet atque effingat, cui hæc non arridet. Nos memores promiſſi quindenas damus hiſtorias fidem noſtram liberaturi.

Hiſtoria I.

Mulieris varios ac deſperatos planè morbos refert, nauſeam naturæ ab aquis Carolinis, vomitus oſtendit, quô palulùm balnei atq; potus frequentiori uſu mitigatô, ipſa deniq; poſt tertium menſem ex voto convaluit.

ANno 1684. M. Aug. A. D. B. fœminæ XXV. annorum, habitu corporis tenuiore prædita, facie ſubtumidâ pallidâque, tenſionis moleſtias in utroq; hypochondriorũ ſentiebat, cum appetitu imminuto, dolore occipitis, & circa os ſacrum, tantum non continuo, effluente ſimul per muliebria illuvie quâdam albâ, tenui, copioſiſſimâ, & languore univerſi corporis partes affligente. Cùm varia diverſorum Medicorum conſilia adhibuiſſet incaſſum, tandem ad Carolinarum uſum applicuit animum.

mum. Itaque præmisso ritè catarctico se curæ accinxit. Primo die absorptis vix duabus ollulis calidæ nauseam ructusque passa tandem evomuit. Mox 5. alias exhausit, itidemque rejecit, ac difficili conatu 6. ollulas postremò evacuavit, quas tamen retinere potuit minimè. Hinc eo desiit die, sed postero mane successu bibit feliciore. Nam neque nausea, neque vomitus rediit, utut ructuum frequenti emissione vexaretur. Sic quindecim aquarum ollulas assumsit, unde ter alvum deposuit, cum sudore multo & urina aliquantulum profusiore. Tertio die ad 19. quarto ad 23. & 5. ad 27. ollulas ascendit, unde sexies, ac tandem decies alvus mota, sudor verò & urina liberalissimè profluxerunt. Inde 7. dies balneo impendit, singulo tantùm mane horam unam usque ad duas consumendo. Reversa posteà ad potationem eo ollularum numero occepit, quo primam curam finierat. Cumque singulis diebus sufficientissimam operationem per omnes tres vias, ut anteà perciperet, nec dosin augere, nec plures, quàm anteà dies bibere instituit. Hinc iterum 7. dies balneo dedit, ac tertiâ vice eandem cum sorbitione & balneo orbitam implevit,

plevit, ita tamen ut die proximo, postquàm ultimò biberat, purgationem balneo præmiserit. Toto curationis decursu tolerabilior valetudinis fuit conditio, appetitu non tantùm restituto, sed doloribus quoque retrò versus paulatim crescentibus, ac languore multùm imminuto. Saltem fluor ille albus molestâ pertinaciâ perstitit, atque 6. ad 8. septimanas à peracta cura cum periodico incremento adhuc continuavit, donec sensim post tertium mensem cessans, faciei pristinum ruborem, robur autem universo corpori relinqueret.

Tria potissimùm in præsenti casu videntur notabilia: (1.) quòd optimè se gesserit ægra repetendo aquarum haustum, utut bis revomere coacta. Inde enim liberatus nonnihil à muco viscido ventriculus sequentibus diebus non tantùm faciliùs admisit, sed retinuit quoque ac transmisit aquas operationem ex voto peracturas. (2. Quòd dosin 27. ollularum, quibus ad sufficientiam vacue facta, non extenderit ampliùs, nec plures quinque diebus potationi indulserit. Quid enim opus majori calidæ quantitate ventriculum aggravare ac distendere, si minori scopum desideratæ purgationis liceat obtinere? Sicut nec plures potationi

oni dies destinare, expedivit, cùm frequentiùs balneum affectus conditio imperaverit. (3.) Quòd post tres demùm menses evanuerit molesta fluxio. Hinc apparet, abjiciendum animum non esse, si durante curatione non statim sequatur morbi remissio. Indubitatæ potiùs veritatis prognosticon est, quod abiturientibus plerumque Medici solent impertire:

Cùm patriæ fines post curam videris, insta
Diætâ sanâ: Sic valetudo redit.

Cur verò hæc ita eveniant, non adeò forsan difficilè fuerit perspicere, si quis puriora jam fluida corporis facta consideraverit, quæ laudabili diætâ conservata pacatum denuò Oeconomiæ animalis statum, viriumque robur postliminiò firmiùs promittunt.

Historia II.

Virum Paralysi obnoxium, ejusq; felicissimam curam proponit.

EOdem anno Junii Mense Dominus C. A. S. Vir 32. annorum, habitu corporis mediocri, sedentariæ vitæ, studiorum & officii causâ assuetus, dolori capitis & oculorum hebetudini diu obnoxius

xius tandem vertigine, mox lateris dextri tali reſolutione & refrigeratione prehenſus eſt, ut nec brachium nec pedem movere potuerit. Intellectus tamen omninò cum ſermone integer permanſit. Adhibito per 2. ferè menſes præſtantiorum medicaminum apparatu tantum profecit in melius, ut motus affectarum partium reſtitueretur quidem, ſenſus tamen deficeret. Hinc conclavi obambulans greſſuum ſuorum talem rationem figurabat, quaſi pedibus alienis incederet. Acceſſit itaque Carolinarum aſylum & prævio purgante curam primam exorſus ad ſeptiduum usque extendit. Neque enim per biduum commota alvus eſt, neque ſudor exiit, donec tertio demum die XXVII. ollulas exhauſiſſet, unde bis dejecit, cutisque humeſcere cœpit.

Hinc ad XLV. ollulas ſucceſſivo adſcenſu pervenit, & largiſſimam per tres vias conſuetas operationem expertus eſt. Inde autem in balneum ſe contulit, per IX. dies cùm inſignem ejus utilitatem perciperet, ſenſu partis affectæ punctiunculis quibusdam ſe poſtliminiò prodente. Curæ ſecundæ tùm in potatione, tùm in balneo,

neo, totidem quot primæ, dies tribuit, nisi quod huic unicum diem adjiceret. Quo factum est, ut sub ipsa potandi periodo sensim non tantùm sensus, sed & calor partium omnium rediret, & ipse non amplius æger, sed sanus ac incolumis domum reverteretur; ubi adhuc ex DEI benignitate salvus agit.

Tria hîc iterum observatu videntur digna: (1.) Quòd optimo consilio ad septem dies sorbitionis cura fuerit extensa. Cùm enim tertio demùm die operatio inceperit, absurdum fuerit, quinto statim desinere; eô nimirum tempore, quô thermales aquæ vim suam visæ sunt pleniùs explicaturæ. (2.) Rectè ad XLV. ollularum numerum perventum est, quod ab hoc tandem egregiè litatum. Scilicet advertere semper decet ad saturationis, quod vocant Chymici, punctum, quantum scilicet cujusvis ferat cum euphoria requiratque natura, respectu simul ad affectus curandi indolem semper habito. (3.) Duæ saltem curæ fuerunt institutæ, ita ut 14. dies potatio, 19. verò balneum sibi vindicaverit. Id quod meo quidem arbitratu plus effecit, quàm si tribus periodis curæ fuissent circumscriptæ, ceu ex discursu nostro superiùs innotuit.

Histo-

Hiſtoria III.

Agit de ingenti ad urinam reddendam ſtimulo, menſtruisq; intempeſtivè profluentibus cujusdam fœminæ, cujus & levamen poſt ſecundum curæ thermalis uſum enarratur.

ANno 1685. A. R. S. ſtaturæ procerioris, habitusque firmi fœmina quadrageſimum vix ſupergreſſa annum, ingenti laborabat urinæ ſtimulo, ita ut hanc vix ad ſemihorulæ ſpatium continere, nec ſacris proinde intereſſe valeret. Accedebat præterea lunaris, quod vocant, tributi quædam inordinatio, ita ut ſanguis inſtar loturæ carnium non tantùm incerto termino, ſed vel ad concitatiorem paulò corporis motum extemplò proflueret, mox verò ſponte ſuâ iterum ſiſteretur. Tumebant quoque pedes, laſſitudine univerſum ſimul corpus occupante. Accepto hæc thermis utendi conſilio tres Menſ. Auguſto curas abſolvit, cum balneo ad morem intercalari. Summus ollularum numerus XXXIII. fuit, unde alvus ad votum reſpondit haud tantùm, ſed præter ſudorem mediocrem urina quoque reddita eſt duplò

plo majori quantitate, quàm aquæ fuerunt assumtæ. Bibit autem labore summo, præcordiorum angustiâ sub potandi actu maximè pressa. Balnei diebus siti plurimùm vexata in solatium fructuosum adhibuit cum cerevisia papaveris bellidisque tincturam minerali clysso attemperatam. Tantùm verò ex DEI omnipotentis gratia & usu thermali levamen ipsa persensit, ut post secundam curam non tantum arbitrio pareret, sed sublato in totum tumore pedum altissima montium cacumina perreptare posset. Reversa domum justas mensium periodos, & sanguinis excretionis coloratas recuperavit, ut sanitatem juvenculæ XV. annorum meliorem non fuisse sanctè asseveraret.

Et hîc paucula brevissimè notamus: (1.) Perpetuus urinæ stimulus dubio procul seri acrimoniæ & copiæ originem debuit. Hinc quoque pedum tumor, mensiumque inordinatio & effluxio præceps à corporis motu poterit derivari. Cessavit verò molestus mejendi conatus, egestâ tam ingenti lotii quantitate, & seri crasi plurimum imputatâ. Sic reliqua quoque symptomata cur desierint, intimiori curâ pensitanti facilè patebit. (2.) Quòd ægrota labore

ſummo biberit, à flatibus forſan impetuoſè motis, & ventriculi extenſionem remomorantibus accidit. Sic memini ſatellitem Sereniſſimi cujusdam Principis flatulentæ aliàs inteſtinorum diſtenſioni obnoxium, cùm quodam mane biberet, ſubitò refrigeratum in dyſporœam & tantùm non in animi deliquium incidiſſe, à copioſa tamen ructuum flatuumque excluſione confeſtim reſtitutum. (3.) Sitim aridam eſſe exortam non mirabitur, qui laticis aquoſi ſub potationis cura per urinas excluſionem tàm largam recogitaverit. Ut taceam, quod familiare ſit ſitire balneo utentibus, maximè ſi caloris gradu excedatur.

Hiſtoria IV.

Juvenem ſymptomatibus variis per vices laborantem, ejusq; recuperatam deſcribit ſanitatem.

ANNO 1686. Menſe Majo & Junio thermarum auxilium imploravit & obtinuit Juvenis quidam 28. annorum, temperamenti ſatis laudabilis & habitûs alioquin ſuccipleni, ſed gravioribus animi affectibus, terrore, irâ, mœrore, nec non vitâ ſedentariâ multum immutati. Hinc capitis imbecillitate, aurium tinnitu,

ιitu, cordis palpitatione, phlogosi, dolo-
·e lumbari, diarrhæâ, appetitu dejecto &c.
ber circuitus ita laboravit, ut nunc hôc nunc
llô molesto symptomate afflictus vividum
aciei colorem perdiderit, absumptis car-
ιibus flacciditatem induerit, non sine im-
ninentis phthiseos metu. At verò ritè
ordinata à thermarum cura, geminaque
ootationis ad 7. & balnei ad 3. dies perio-
lô perfunctus, ita convaluit, ut postero
ιnno uxorem duxerit, & in hunc usque
liem incolumis superstet quatuor libero-
um pater. Unicum adhuc memorare li-
ceat, quòd in sorbitionis cura ad septem
lies protracta summa ollularum dosis 21.
uerit, unde duodecies plerumque alvus
luxit, cum sudoribus largis & urina satis
opiosa. Balneo vix interesse 3. dies, &
ιunquam per horam integram potuit; se-
us enim capitis gravitas, languor & sitis in-
aluit.

Hîc plura penitiore indagatione digna se offe-
runt: (1.) Causa ægritudinis & occasio in spirituum per vehementiores animi motus affectione (2.) causa absumptæ & flaccidæ carnis (3.) causa, cur in hoc subjecto tàm exigua aquarum dosis plus præstiterit, quàm in alio dupla illarum quantitas sæpè non

ſolet efficere. (4.) Cauſa, cur longior in balneo mora dicta ſymptomata procreaverit. Sed hæc pleniùs expendenda illis relinquo feſtinabundus, qui me magis otio & ingenio abundant.

Hiſtoria V.

Calculus & Podagra in ſexagenario, curâ ritè peractâ, profligitur.

ANNO 1687. Menſe Auguſto Sexagenarius quidam, G. O. obeſulus, florido vultu, calculo & podagræ ab aliquot annis obnoxius, noviſſimè in graves ſiniſtri lateris dolores inciderat, quos licet medicaminum uſu mitigaret, tollere tamen in totum non poterat. Hinc ad Carolinarum opem confugiens curamque ritè auſpicatus primo die ſemel atque iterum aquas revomuit; inſequenti mane retinuit atque ab epotis 17. ollulis liberale ſenſit urinæ profluvium, cum notabili dolorum remiſſione. Perrexit verò potatione in octavum diem ad XXXVII. ollulas aſcendendo, quas poſtmodum in ſecunda cura pariter cum euphoria quotidiè aſſumpſit, ne minimo quidem dolorem veſtigio remanente, urina

urinâ autem copiosissimum sabulum rubrum egerente. Balneum, cui quâvis periodo 6. dies dicati, optimè tulit, pedibus inde, ut ajebat, quasi robore perfusis. Hinc agilitatem suam experturus, summitates montium perlustravit, & optimè inde valens domum repetiit, ultra annum integrum liber ab omni podagræ & calculi insultu.

Duo hîc considerationem videntur mereri: (1.) Quòd penetrans calidæ vis sabuletum statim attigerit, & obstructionem reserando urinæ & sabuli exitum promoverit, ut inde doloris imminutio secuta sit. Unde innotesciti, à quibusdam falsò nonnunquam concludi ad grandioris calculi in ureteris principio præsentiam, quando dolor fixus & diu constans in illa regione percipitur. Nam etiam à sabulo arctiùs impacto urinæ effluxus cohiberi, & renis parenchyma distendi potest, ut dolor inde satis atrox exsurgat. (2.) Quòd pedes balneo leviores facti strenuè suum fecerint officium, mirum non est. Nam nodi circa articulos adhuc recentes molliores que resolvi poterant, quod in aliis subjectis ægrè aut nunquam perfectè contingit. Cæterum & calculo & podagrâ pressos allevamentum à thermarum usu recipere, vel inde proba-

 tur,

tur, quòd sæpè ad illas, tanquam ad sacram anchoram, recurrant, & exempla prostent multorum, qui vel singulis annis illas frequentare consueverint.

Historia VI.

Princeps motus spasticos in abdomine patitur, conjunctos cum aliis symptomatibus; duæ ejus purgationes, & incoluminis discessus.

ANNO 1688. Mense Majo & Junio serenissimus quidam Princeps, cùm curiosa indagatione in Mercurii naturam per ignem inquirens multum vaporis nocivi attraxisset; hinc verò partim in artubus, partim in nervoso abdominis circulo motus spasticos sub colicæ schemate sæpius pateretur, vertigine simul & cephalalgiâ affligente apoplexiæ metu territus, tandem ad thermas properavit. Præmissâ præparatione tres curas ad 5. dies, tàm potatione, quàm balneo confecit. Primo die ter, quinto autem semel evomuit, id quod in secunda cura die quarto pariter contingit. Hinc postero mano ventriculi mucum viscidum aquâ thermali incisum educturus blandum accepit emeticum. Et hoc insigni commodo

do uſurpatū teſtabatur valdè copioſa materiæ pituitoſæ rejectio,& facillima ſub tertia cura aquarum retentio, vertigine reliquisque ſymptomatibus in totum ſublatis. Quamvis verò abundantiſſima operatio aquam ferè limpidam, ceu imbibita erat, per alvum reddiderit, ut adeò vacue facta prorſus & eluta inteſtina crederentur, exhibitum tamen poſt finem ultimæ potationis catarcticum magnam pituitæ, quam vitream vocant,quantitatem eduxit, & quidem fruſtorum formâ nuces juglandes magnitudine æquantium. Balneo deinde cum emolumento uſus incolumis diſceſſit, proſperâque in hunc diem valetudine fruens exercitûs legioni præeſt Dux fortiſſimus, quem DEUS porrò gratioſè ſervet ac tueatur.

Duo ſaltem reſpicere libeat: (1.) Cùm Mercurii vitio invaletudinis cauſa attribueretur, conſilium thermas uſurpandi hoc videtur] fundamento innixum fuiſſe, quòd illæ ſulphuream obtinere naturâ credantur. A ſulphure verò ligari Mercurium, notum eſt, comprobatque ſpontanea quaſi amalgamatio, quando manibus ille tractatur,annuliſque digitorum aureis ita ſe inſinuat, ut inde albeſcant. (2.) Falſa eſt nonnullorum

persuasio, curationis thermalis tempore ab omni medicamentorum usu abstinendum esse. Accidit enim interdum, ut quædam ab aquis moveantur, sed non removeantur. Medici autem est, diligenti vigilantiâ attendere ad omnia. Cùm viderit naturam à se ipsa non posse amoliri, quod sibi molestum est, ejus se ministrum probans laboranti subveniat. Itaque in præsenti casu commoda videtur emetici propinatio. Cùm enim repetitus in prima secundaque cura vomendi conatus indicium faceret, attenuatum quidem aliquo modo mucum, non tamen tàm levi nisu ejiciendum, aquarum stimulo potiùs versus guttur inferius tendente; opus omninò hoc subsidio fuit, quod etiam laudabile levamen præstitit.

Historia VII.

Asthmatis periodici contumacia tandem imminuitur.

ANNO eôdem Vir honoratissimus XLVII. annorum, staturâ corporis mediocri, sed habitu satis pleno per 4. menses asthmate convulsivo s. periodico afflictus erat, præpropero sæpiùs insultu, dum ambularet in platea, prehensus. Nihil quidem eorum intermisit, quæ depellendo

lo malo conducere videbantur, ſed conatu tamen prorſus irrito, morbo ſcilicet interdum imminuto, mox ad ingenium ſuum redeunte. Hinc vitæ per tot mala trahendæ impatiens thermas acceſſit, & ordinatam ritè curam geminam ſuſcepit; ſed tantùm 3. dies ad potandum, totidemque ad balneum impendere potuit, quod 30. ollularum doſis impetuoſiùs paulò operaretur. Tandem tertiâ vice potationis curam ad decem dies citra ullum incommodum continuavit, operatione per tres vias optimâ & ſudore imprimis largisſimè profluente. Balneum verò ceu ſibi adverſum planè omiſit. Specifico potiùs purgante potandi finem proſecutus eſt, unde dejectiones copioſas virides inſtar intritæ ex naſturtio deprehendit. Quamvis autem ſub ipſa curatione meliusculè haberet æger, non tamen emanere ſenſit moleſtum hoſpitem, ſed ex improviſo ſæpiùs adorientem adhuc obſervavit domi redux, donec aliquot ſeptimanarum ſpatio paulatim decreſcendo diſparuit prorſus, nec per VIII. annos rediit unquam.

Non ſtatim deſiſſe hunc effectum, mirum illi haud videbitur, qui indolem novit, & contumaciam ejus in uſu præſtantiſſimorum me-

dicaminum advertit. Sufficiet tamen hinc colligere (1.) quòd duro huic nodo thermarum cuneus valeat adaptari, & (2.) hôc aliis convulſionum affectibus auxilium ferri.

Hiſtoria VIII.

Virgo ſuppreſſione menſtrui, variisq; morbis à peſſima diæta ortum trahentibus ægrotans, purgationum & balnei uſu priſtinam acquirit valetudinem.

ANno 1689. M. Aug. ſalutari thermarum auxilio revaluit honeſtisſima virgo XXIII. annor. cui ultra ſeptimum menſem fluxus jam ſubſtiterant. Thermas ſalutavit vultu pallido, ſubtumidoq; cum hypochondriorum inflatione, & borborygmis, reſpirationis difficultate, capitis lumborumque dolore, & univerſi corporis lasſitudine ac torpore ſummo. Obſtructiones has ſibi conciliaverat diætâ pesſimâ, delectata fumo duratis viſcidisq; alimentis, nec non lacticiniis & condimentis acidis, imprimis lactucâ cum aceto, quæ ſæpenumerò uno eodemq; paſtu comederat. Sub cura prima ad 5. tantùm dies inſtituta, quotidiè ventriculi ſubverſionem experta eſt, ita quidem, ut dimidium plerumq; aquarum aſſumtarum [bibe-

rat autem ad XXV. ollulas] vomitu rejiceret, alvô tamen quater vel quinquies motâ, ſudore ſimul ſatis copioſo. Itaq; 6tô die propinatum eſt emeticum, quo incredibile dictu, quantum viſcoſæ materiæ ipſa per vomitum exantlaverit. Hinc balneo 6. dierum indulſit, à quo reverſa ad potationem eſt. Hanc verò adeò commodè jam pertulit, ut ad 9. dies continuare illam potuerit, operatione per omnes vias ad votum effuſisſimâ. Purgata deinde atque ad balneum relegata eſt; ſed hôc vix ſemel atque iterum uſa, cum præviis per horam torminibus in regione inguinali & circa os ſacrum catamenia eruperunt. Sanguis primo die ater & craſſus atque grumoſus prodiit, tribus tamen poſteris diebus floridior apparuit. Deniq; 5. adhuc dies balneo ſe commiſit, jam libera ab illa infelici ſymptomatum memoratorum lerna. Sic reviviſcente quaſi faciei colore, & redeunte membrorum alacritate thermas reliquit, illarum laudas perpetuò decantatura.

(1.) Ex præſenti caſu eluceſcit aſſerti noſtri ſuperioris veritas, quòd medicamentorum uſu naturam adjuvare expediat. Niſi enim emetico expurgatus fuiſſet ventriculus, procul dubio ſucceſſu caruiſſet cura ſecunda. Et hoc (2.) præterea obſervamus, quòd vomitionem quidem

dem in aliquibus thermales aquæ provocent, mucum tamen s. pituitam viscidam tenaciùs forsan stomachi rugis inhærentum, non tàm educant, quàm incidant moveantque. Id quod in excretione per intestinorum exitum pari modo videre est. Nam in quibusdam personis etiamsi vel centies dejecerint sub potationum curis, tamen ab accepto purgante demum viscida & glutinosa excrementa deprehenduntur. (3.) In hoc casu notandum, quod mensibꝰ fluentibus à balneo rectè abstinuerit virgo. Si verò illorum eruptio contigisset sub potationis actu, non dissuadenda hæc fuisset, cùm naturæ conatum expellendi vi suâ penetrante adjuvare thermarum aquæ quàm optimè valuissent.

Historia IX.

Scorbuto sanguinisq́; profluvio laborans vidua Carolinis utitur aliisq́; medicamentis, quorum virtute paulùlum quidem levaminis percipit, domum verò reversa denuò isthôc malô cruciata pleuritide tandem obit.

MIseriore ac duriore fato afflicta fuit S. G. pannificis cujusdam vidua XXXVI. annor. ex scorbuto malè sana, quæ 18. septimanas continuo sanguinis profluvio laborans cum macie & languore totius corporis A. 1690. M. Maj. desperato de-

demum consilio, medicamentis nihil emolumenti afferentibus, in thermas se contulit. Ipsa ductu proprio curam auspicata XIII. ollulas primo die evacuavit, à quib9 duodecies purgata postero die XVII. assumpsit. Sed tanta vi egerunt, ut non tantùm vicies alvum moverint, sed sanguinis fluxionem ad animi ferè deliquium intenderint. Hinc aceti odore se paululum reficiens circa vesperam, ex pharmacopolio corallia rubra, & pro grosso theriacam petit. Hæc remista cum aceto deglutit, cubitumque concedit. Nocte satis quietè transactâ, insequenti mane aliquantulum remisisse fluxum advertit, à potatione tamen abstinuit. Verùm cum tertio tandem die longè parciùs esse profluvium, conspiceret, quàm accessûs tempore in thermas, recollecto animo bibere de novo incipit. Hinc 15. ollulas exhausit, à quibus quamvis totidem ferè vicibus alvus soluta, ac sudor copiosè satis protrusus sit, sanguinis tamen exclusionem haud sensit majorem. Itaque eâdem ollularum dosi in quintum usque diem continuavit. Tùm verò denuò impetuosiùs prodire sanguinem deprehendit. Recurrit igitur ad familiare sibi coralliorum rubrorum auxilium, cujus bis repeti-

ti usus egregiè profuit. Hinc tertiâ vice post trium dierum intervallum potare sustinet feliciore, quàm anteà, successu. Nam & alvi moderatior fuit egestio, & sanguinis minor longè commotio. Quartò tamen die omninò desiit bibere, verita, ne quinto prioris curæ fatum immineat. Sed eodem illo die ad 6. horas fluor emansit, qui tamen revertens vices deinde & inducias admisit. Mulier autem regressa domum in tantum denique convaluit, ut perpetuo quidem effluxu liberata, incertas tamen periodos ad 8. 10. & 14. dies passa sit, ante annum nunc circiter pleuritide defuncta.

Quod de Martialium gemina virtute, quâ & aperire & adstringere valeant, experientia confirmat, idem de hisce thermis statui posse, per dicta hactenus constat. Nec inficiandum quidem est, sicut aliorum metallorum & mineralium, ita etiam Martialibus eas pollere particulis. Utrum verò ab his, an ab aliis, quas admirabili vi in unum quasi coëgit divina sapientia, memorati effectus proveniant, infallibili ratione determinabit nemo. Nobis sufficiat à posteriori & ab effectu intelligere, quod & reducere morantes, & sistere menses nimios calidarum ope valeamus, imprimis si cum regimine justo, prudentique consilio cura instituatur.

Histo-

Hiſtoria X.

Lancinans artuum dolor, fœminam vexans, thermis in auxilium adhibitis, ſucceſſivè evaneſcit.

EOdem anno Menſe Junio Domini F. uxor XXVI. annorum, lancinante artuum dolore, appetitu dejecto, reſpi-andi difficultate, vigiliis, diu conflictata, naciem totius corporis tantam contraxe-at,ut cutis vix oſſibus hæreret. Therma-um verò auxilio confiſa cùm potationis, ùm balnei curam ad 7. dies ex præſcripto geminavit, ad XXX. ollulas ebibendo, tantâ ſucceſſus felicitate, ut & ſomnus ac appeti-us,nec non plenior ſpirandi libertas redi-et,dolor verò ſucceſſivâ remiſſione evane-ſceret. Hinc recollectis domi viribus car-nem augeſcere, faciemque vivido ſuffun-di denuò colore ſenſit. In ſequenti anno teravit curam inſigni valetudinis commo-do, ita ut in hunc usque diem adhuc ſana & ncolumis perſtetque ac duret.

(1.) Quæ de XXX. ollulis dicta,de ſumma nimi-rum doſi intelligenda ſunt. Nam à trede-cim ollulis initium faciens paulatim aſcen-dit,donec ſufficere viſum eſt. (2.) Balneum

pri-

primæ curæ vix ad tres quadrantes horæ pertulit, languore moram prohibente longiorem. Alterâ tamen periodo jam aliquantulum validior factâ ad sesquihoram duravit cum euphoria. (3.) Quòd anno proximo repetierit curam, firmandæ omninò sanitati conduxit.

Historia XI.

Serenissima Princeps malo hypochondriaco, scorbuto, ac ulcere, rhevmatico laborans usu calidæ in pristinum statum quodammodo restituitur.

SEreniss. quædam Princeps 50. supergressa annum, obesi serosique habitûs, à longo tempore mali hypochondriaci & scorbuti affectione, à decem verò annis ulcere rhevmatico pedis dextri infra suram laboraverat. Adhibito frustrà diuque magnifico medicamentorum apparatu, thermas tandem ante hos septem annos adiit, maximè postquam scabiem pruriginosam dicto pede efflorescere persensit. Præparatione debitâ ritè præmissâ 6. dierum potationem continuavit ad XXV. ollulas perveniendo, quibus mirum dictu quantum feculentæ materiæ reje-

rejecerit. Hinc balneum intravit 5. dies, muniendo ſemper pedem linteaminibus plurimùm duplicatis, ad arcendum aquæ immediatum contactum. Secundæ curæ die ſecundo impetuoſâ admodum operatio alvum ultra 30. vices deplevit; hinc ipſa languida nonnihil tertium diem quieti tribuit. Sed refecta familiari ſibi ad vires recuperandas medicinâ, ſequentibus tribus diebus conſuetum ollularum numerum exhauriendo ſatis bellè habuit, balneumque inde ad 5. dies adhibuit. Cùm in tertia bibendi periodo verſeretur, pruritum cum ſcabie pedis perire ſenſim advertit, quem ſubſequens balneum totum denique profligavit. Ulcus quidem puriùs, ſed ad cicatricem non perductum eſt. Cæteræ invaletudinis diuturnitatem minor moleſtiarum ſenſus conſolatus eſt, ita ut hilariori, quàm acceſſerat, animo diſceſſerit optima Princeps nunc ante biennium apoplectico affectu è vivis ſublata.

Quòd ſecundo die ſub altero potationis circuitu effrenis adeo operatio ſe exſeruerit, non mirabuntur, qui ſedulos thermalis curæ ſe exhibent obſervatores. Ple-

rumque enim eô tempore vel morbi causa propiùs evoluta tumultuatur, vel aquæ vis ſaturationis punctum adepta pleniùs ſe explicat. Appoſitè autem tunc unus vel alter dies intermiſſioni datur, donec recollectis viribus ad penſum redire, poſtliminiò liceat.

Hiſtoria XII.

Virum offert catarrhis obnoxium, curamq; ejus thermarum ſtillicidio peractam.

VIr XLVII. annorum, ſtaturâ corporis procerâ, ſed gracili, catarrhalibus ſubinde affectibus obnoxius, incidit in dolorem humeri dextri, ejusque articulationis, ita ut ad leviſſimam vel ex improviſo commotiunculam ille intenderetur, ac nocte imprimis ſæviens ſomnum penitùs fugaret, absque ullo tamen notabili tumore aut rubedine. Auxilii nihil attulerunt, cùm interna medicamenta catarrhis debita, tùm externa, ſuffimenta puta varii generis, fotusque ſicci ac frictiones cum linteaminibus calidis. Tandem deventum eſt ad thermarum ſtillicidium, quo vel bis in die per horam adhibito

bito non tantùm dolor expiravit, ſed brachium ex arbitrio movendi facultas in libertatem vindicata eſt.

(1.) A lympha forſan craſſiore expanſiones tendinoſas obſidente malum traxit originem. Hinc calor ſtillatitiâ quaſi vi impreſſus penitiùs partem affectam potuit penetrare, & impactam ſ. ſtagnantem lympham diſcutere. (2.) Ex allato exemplo colligitur, quòd affectibus permultis cum fructu adhiberi ſtillicidium hujus calidæ queat, modò ad præſcitum & ordinationem experti Medici cura ſuſcipiatur. Sic memini cujusdam juvenis XXIII. annorum, qui dolore circa medium ſuturæ Lambdoideæ, imprimis noctu torquebatur, quem curæ mercuriali olim non ſatis providè adminiſtratæ attribuat. Hic thermas ingrediens ab illarum aqua ſtillatim adhibita ingens ſe ſolatium, imò doloris omnimodam ſublationem percepiſſe affirmabat. Continuaverat autem ejus uſum per 3. ſeptimanas, ac ſæpè per tres aut quatuor horas, inſcio Medico, capiti calidam ſuper inſtillare patiebatur.

Hiſtoria XIII.


Sterile conjugium uſu Carolinæ fœcundum efficitur.

QVam ſuavis formæ gratia commendabat, honeſtiſſima fœmina XXII. annorum per biennium in ſterili conjugio vixerat. Quæſita ad rogatum mariti per Medicos de valetudinis ſuæ conditione, nihil querelarum regeſſit, niſi quòd capitis ſubinde dolore vexaretur, & à congreſſu ſemen vel mox elaberetur utero, vel ad diem vix unum retineretur. Adhibere medicamenta cùm multa nollet alia, thermas elegit, quas ſucceſſu exoptatiſſimo uſurpavit, præſcriptæ ſibi methodi quoad potationem & balneum, nec non medicamina quædam externa obſervatrix accuratiſſima. Dimidium verò itineris verſus patriam vix abſolverat, cùm obviam ipſi venit maritus, ruitque in amplexus deſideratiſſimæ conjugis. Hinc fauſto deinde ſidere ipſam deduxit domum, ut poſt 9. extemplò menſes puellam formoſiſſimam pepererit. Sed bienſ

nio

nio vix exacto cùm denuò esset enixa, post pauculos dies febre correpta obiit, non sine summo suorum desiderio.

Medicamenta externa pro tollenda sterilitate varii generis solent adhiberi, scilicet insessus, suffitus, emplastra, inunctiones &c. Cujusvis verò judicio præconceptis opinionibus non onerato relinquo, num illa convenientissimè applicentur statim post thermarum egressum? Nam cum pori & meatus cuncti partium, circa uterum vi hujus calidæ peculiari afficiantur, topicorum vires commodè superadditæ effectum forsan certiorem promittent.



Hiſtoria XIV.

Aſcitem nondum confirmatam Matronæ thermales aquæ curant.

QUantum valeant thermales aquæ in percuranda aſcite nondum confirmata, exemplô comprobari poteſt matronæ perilluſtris, LVII. ætatis anno jam conſtitutæ. Intumuerant paulatim pedes, mox abdomen quoque, quod attactum inſignem duritiem præ ſe ferebat, cum ſiti vehementi, ciborum faſtidio, ſpirandi difficultate, colore faciei mutato &c. Curam potationis primam 6. diebus perfecit, incipiendo ab 11. ollulis, atque ad 25. aſcendendo. Hinc quatriduum balneo datum, ita ut mane poſt ſeptimam, â meridie poſt quintam inſidens, ad minimum horam unam vice ſingulâ conſumeret. Duæ autem his ſubjunctæ adhuc curæ ſunt potationis, nec non balnei duæ. Quælibet 4. circumſcripta diebus ſatis commodè ceſſit, abdomine emollito & ſubſidente, nec non pedibus detumeſcentibus, ac faſtidio multum imminuto. Saltem illis

diebus,

diebus, cùm biberetur, circa 4. quintamque pomeridianam borborygmi subaudiebantur, quos interdum capitis dolor in vesperam usque excipiebat. Balnei autem diebus saliva viscida sitim aridam ostendebat. Domum redux sensim convaluit plenissimè.

(1.) Curatio hîc citra prævium purgans initium sumpsit, quòd alvus in itinere ad thermas quotidie aliquot vicibus fluxerit. In tali enim casu quid catarctici usu opus, cùm aquæ calidæ vias jàm lubricas invenientes facilè valeant penetrare. (2.) Borborygmi exsurrexerunt, quòd distendentis aquæ quædam portio intra intestinorum claustra adhuc fluctuaverit, quæ flatus concitavit hinc inde vagantes. Hinc opem attulit medicamentum carminativum eo tempore propinatum, quod & aliis in simili casu profuit egregiè. (3.) Sitim quàm optimè compescuit accidularum haustus præsentaneo levamine.

Hiſtoria XV.

Fœmina vehementi tuſſi laborans virtute Carolinæ priſtinam ſanitatem recuperavit.

ANNO 1693. fœmina XXXI. annorum, ſcorbutica & fluori albo obnoxia, inter cœnandum cum amicis datâ occaſione in riſum non mediocrem effuſa vehementi tusſi correpta eſt, quæ ultra duas horas ad ſomni usque tempus perduravit. Poſtero mane è lecto ſurgens, iterum validâ tusſi ſed inani impetitur, quæ deinde quaſi lege quâdam ſingulis diebus manè rediens cum augmento, languorem ſatis moleſtum poſt ſe traxit. Primis aliquot ſeptimanis tusſiendo nil ægra potuit exantlare; ſaliva tamen eaque viſcidior magnâ abundantiâ profluxit, appetitu proſtrato, & dolore in pectoris meditullio percepto, cum maciè totius corporis inſigni reſpirandi difficultate, ita ut in neutro cubare latere, nec progredi celeriter, aut ſcalas accendere, nec hymnum cantare potuerit. Ab uſu medicamentorum quæſitisſimorum paululùm quidem melior facta,

cta, molestissimos tamen tussiendi conatus quotidiè manè & interdiu, quandoque etiam sub lecti introitu perpessa est, à quibus sputum denique album, viscidum ac crassum ejecit. Thermarum itaque præsidium expertura ad potationem statim se accinxit, quòd alvus plus justo fluida catarcticum minùs videretur requirere. Primâ vice deplevit 11. ollulas, unde octies dejecit: postero autem mane cùm vix octo exhausisset, tàm enormis insecuta operatio est, ut intra 12. horas 38. vicibus fluidissimam alvum exonerare cogeretur. Hinc exorto languori consultura proximum diem quieti; sequentes verò quatuor balneo dedidit. Tùm verò de novo potationem exorsa, cùm absque molestia illam ferret, 5. dies continuavit, summâ ollularum dosi ad 19. perductâ, quibus per omnes trés vias copiosa satis egestio procurata est. Itaque colophonem curæ imposuit blando purgante, quod deinde balneum 5. dierum excepit. Ab illo tempore, postquam domum pervenerat, sensim pristinas vires recuperavit, tussi, dolore pectoris, spirandi difficultate omnimodè sublatis. Cum appetitu autem restituto gliscere carnes musculosæ

hactenus flaccidæ denuò cœperunt, ac novum corpori robur infundi.

Alvum fluidam cùm ægra attulerit ad curam, facilè apparet, in motu extitisse humores, qui subdito calidarum stimulo secundo statim die cum impetu exierunt. Hinc benignior fuit secunda cura, scilicet subtractâ jam noxiorum saburrâ. Ultra tamen 5. dies bibere, aut tertiam superaddere curam non expedivit, quoniam sufficiens jam facta evacuatio ac præterea languoris ratio habenda erat.

Sed quid juvat, omni morborum genere cumulatas hùc referre historias? quid commodi ad Lectorem, si porrò viderit memorari, prodesse thermas, in tremore, in contracturis, in spasmo, in phtisi à morbida spirituum humorumque diathesi oriunda, in hæmorrhoidibus tàm cæcis, quàm nimium fluentibus, in malo ischiatico &c. quorum omnium curationes vi calidæ nostræ peractas pari descriptione possemus tradere. Potiùs experietur quilibet thermas visitaturus, me minus forsan dixisse, atque debebam. Nam ecquis magnificè satis illarum virtutes deprædicabit incomparabi-

les

es planè? liberrimâ provocatione appello idem doctiorum quorumvis & versatissimorum in arte cùm chemica, tùm Medica, num medicamentum producere valeant, quòd pari vi, sed pari simul benignitate thermarum vires adæquet? quod & alvum multoties, & lotium ac sudores plenis quasi rivulis moveat, idque unâ eâdemque horâ, ac citra virium notabile dispendium, quodque plures continuasse dies valetudini expediat. Qui tale demonstraverit pharmacum,

- - *is Phyllida solus habeto.*

Quemadmodum verò ex discursu nostro facilè innotescit, quòd thermarum usus pateat quàm longissimè: ita judicio pollens Medicus haud difficulter advertet, non in omnibus tamen promiscuè affectibus eas citra insigne periculum adhiberi posse, v.g. qui febribus acutis aut malignis detinentur, aut qui viscerum labem vel ulcus in abdito alunt, quâcunque id hæserit parte, qui propè absunt ab infirmitate summa, aut mortem in procinctu habent &c. à thermarum usu omninò debent abstinere.

Qui-

Quicunque ergò virtute excellentiſſimi hujus remedii valetudini ſuæ conſulere geſtit, experti Medici ſententiam antè audiat, quàm curæ ſe tribuat. Tùm verò ſucceſſu proſpero illam fortunabit Divinum Numen, quod omnibus ex animo precor voveoque.

FINIS.



Errata.

pag. 15. lin. 2. lege: tanta.
pag. 20. lin. 11. lege: affuderunt.
pag. 26. lin. 20. pro ſi plus, lege: ſic plus ſemper.
pag. 27. lin. 21. pro jecti, lege: jecto.
pag. 31. lin. 4. lege: affectas.
pag. 45. lin. 12. lege: allegabam.
pag. 50. lin. 16. pro magna tum, lege: magnatum.
pag. 54. lin. 7. lege: Eſt ſanè.
pag. 61. lin. 12. pro reſiſtent lege: reſtitent.
pag. 65. lin. 19. pro explorata lege: exploſa.
pag. 66. lin. 9. lege: utrasque.
pag. 70. lin. 10. lege: gravibus lypo-
pag. 72. lin. 20. pro aviditate, lege: ariditate.
pag. eâd. lin. penult. pro ſpinosâ, lege: ſpumosâ.
pag. 77. lin. 4. lege: Meâ igitur.
pag. 78. lin. 14. lege: aſſuetis.
pag. 83. lin. 8. lege: pag. 71.
pag. 86. lin. 13. potio, lege: portio.
pag. 97. lin. 10. tantùm urina arbitrio.
pag. 97. lin. antipenult. pro putatâ, lege: mutatâ.
pag. 98. lin. 6. lege: refri-
pag. eâd. lin. 7. lege: dyſpnæam.
pag. 99. lin. 8. â thermarum, deleatur â.
pag. 100. lin. ult. lege: dolorum.
pag. 101. lin. 15. innoteſciti, deleatur i in fine.
pag. 108. lin. 20. pro denuò lege: periodicè.
pag. eâd. lin. 21. pro tandem, lege: poſt 3. annos.
pag. 113. lin. 13. lege: verſaretur.
pag. 115. lin. 19. tribuat, lege: tribuebat.
pag. 120. lin. 2. lege: virtute.

